A LACEDÆMONI nullam diſciplinam abſtinentia habuerunt potiorem. Pinguis & obeſi ventris adoleſcentes inedia macerabant.

ÆGYPTIA juventus, Amaſis edicto, non priùs cibum capiebat, quàm centum octoginta ſtadia percurriſſet.

PLATONIS frugales erant cœnæ, propterea dicebat Timotheus, benè cum iis fore, quos Plato excepiſſet convivio: delicatiores epulas, opipara ſprevit convivia, vivebat contentus olivis Academicis, pane item & aqua.

TELEMACUS Acarnenſis victitabat fabis.

SOCRATES tanta fuit temperantia, ut omnia ferè vitæ ſuæ tempora valetudine inoffenſa vixerit.

ROGATIANUS Senator ſemel tantùm interdiu dabat operam cibo.

PERSARUM Magi nihil in cibo præter farinam & olera recipiebant.

Indorum Gymnoſophiſtæ veſcebantur pomis, & farina.

DIOGENES nunquam pendebat de craſtino, ſed in præſentem modo horam ſibi corrogabat cibum, ob id ἡμερόβιος dictus, id eſt, quotidianus.

B EPAMINONDAS Thebanus victu fuit adeò parvo & tenui, ut à vicino in cœnam invitatus, cum dapſilem & affluentem delitiis menſam reperiſſet, iratus receſſerit, dicens: Ego te opinabar rei divinæ operam dare, non de contumelia cogitare. Sic infeſtus extitit obeſis & corpulentis, ut quendam aliquando portentoſo ventre ſubmoverit ab exercitu, quòd ad tegendum ejus corpus vix clypei tres ſufficerent.

LYCURGUS dicere ſolitus eſt, non eſſe utendum majore cibo, quàm qui ad repellendam famem ſufficeret, amota crapula.

PERICLES Athenienſis à cœnarum & conviviorum apparatibus abhorrebat adeò, ut nec apud amicos cœnitaret.

PLATO ſæpiùs ſiti laborans, è puteo hauriebat aquam, iterumque effundebat, ut ita cupiditatem caſtigaret. ☞ *Vide Langium in Polyanthea, Tit. Abſtinentia.*

Iuvenalis Satyr. Curii abſtinentiam, ſive potiùs frugalitatem deſcribens, ita canit *Sat.* 11.

Hæc olim noſtri cum luxurioſa Senatus
Cœna fuit. Curius parvo quæ legerat horto,
Ipſe focis brevibus ponebat oluſcula, quæ nunc
C *Squalidus in magno faſtidit compede foſſor*, &c.

CAUSA, *Nempè ſanitatis.*

Nempe inamareſcunt epulæ ſine fine petitæ,
Illuſique pedes vitioſum ferre recuſant
Corpus.

Horat. lib. 2. ſerm. Sat. 7.

Et *libro eodem Sat. 2.*

Accipe nunc victus tenuis, quæ quantaque ſecum
Adferat. Imprimis valeas benè. Nam variæ res
Vt noceant homini, credas, memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit: at ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis,
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita, &c.

☞ *Plura reperiet Lector, Titulis ſuprà allegatis.*
☞ *Videatur Locus de Alimentis, eorumque abſtinentia.*

---

* Abuſio. Abuſus.

D

DEFINITIO & ETYMOLOGIA.

ABUSIO ſive Abuſus eſt, cum aliqua re per licentiam nimiam malè utimur. Nam abuti eſt perperam uti, ſive nimis licenter uti. Unde Cicero: Noli abuti nimis patientia noſtra.

Abuſio Græcis, κατάχρησις, εως, ἡ, & καταχρῶμαι, abutor dicitur. Eſt autem abuti, utendo conſumere.

Abuſio & Abuſus. Adjunctam hujus vocis ſignificationem aperit, ut non ſolùm pro licentiori morum corruptela accipiatur, ſed & ad uſum illicitum cujuſcumque rei. *Inſulanus.*

Abuſus pariter, niſi aliquid adjiciatur ſignificationi, in bonam ſumitur partem: ſimpliciter verò prolatum, in malam. *Rebuff. leg. bona civitatis, ff. de verbor. ſignif. Lucas leg. uſum aquæ, C. de aquaductibus.*

Abuſus & uſus contraria judicantur. Nam authore Boetio, utimur iis, quæ nobis utentibus permanent: iis verò abutimur, quæ nobis utentibus pereunt. *Iacob. Spiegelius in Lexico juris civilis.*

ABUSUUM VARIA GENERA. E

Magna abuſio, ait *S. Bernard. in Apolog.* Parcitas putatur avaritia: ſobrietas auſteritas creditur: ſilentium reputatur triſtitia. E contrà remiſſio diſcretio creditur: triſtitia ſilentium reputatur, loquacitas affabilitas, cachinnatio jucunditas, mollities indumentorum & equorum faſtus, honeſtas, lectorum ſuperfluus cultus munditia.

Duodecim ſunt abuſiones ſæculi. Sapiens ſine operibus, ſenex ſine religione, adoleſcens ſine obedientia, dives ſine eleemoſyna, fœmina ſine pudicitia, dominus ſine virtute, Chriſtianus contentioſus, pauper ſuperbus, Rex iniquus, Epiſcopus negligens, plebs ſine diſciplina, populus ſine lege. *Auguſt. de 12. Abuſib. Tom. 9. oper.*

Duodecim ſunt abuſus Monaſterii. Prælatus negligens, diſcipulus inobediens, juvenis otioſus, ſenex obſtinatus, monachus curialis, religioſus cauſidicus, habitus pretioſus, cibus exquiſitus, tumor in Clauſtro, lis in capitulo, diſſolutio in choro, irreverentia juxta altare. *Hugo l. 1. de Clauſtro animæ.*

ABUSUS VARIARUM RERUM F

EXEMPLA HISTORICA.

ET APOPHTHEGMATA.

ARISTIPPUS delectatus aliquando inſigni unguento: Malè ſit, inquit, malis cynædis, qui rem tam bellam infamarunt: ſentiens, multa per ſe bona rejici culpa utentium malè. *Laert. lib. 2.*

THEODORUS Athenienſis objicientibus, quòd doctrina ipſius multi redderentur deteriores, reſpondit, id aliorum vitio accidere, qui doctrinam ipſius ſiniſtra exciperent, cum ipſe dextra porrigeret. *Plut. lib. de anim. tranquil.*

DIOGENES aliquando Platoni occurrit, caricas edens, eique offerens, dixit: Licet participem eſſe: cum acceptas ediſſet, Participem eſſe dixi, inquit, non devorare. Μετέχειν, εἶπον οὐ καταφαγεῖν. Hic jocus ad rem ſeriam poteſt accommodari, videlicet in eos, qui principis, præceptoris, ac parentum permiſſu abutuntur ad inconceſſa. Veluti ſi quis admonitus, non eſſe inutile deguſtare dialecticam, totam vi- G tam ei impendat ſtudio. Dictum ita refertur à Laertio, ut dubites, uter alteri obtulerit caricas. *Laer. l. 6.*

EPICTETUS conſpiciens quemdam impuris moribus, audacem, confidenti lingua, improbo tamen ſtudio philoſophiæ diſciplinas contrectare, inclamabat Deum atque hominum fidem, his verbis increpans hominem: O homo, vide quo mittas, num purgatum ſit vas. Nam ſi ad arrogantiam iſta immiſeris, interierint: ſi computruerint, in urinam aut in acetum vertentur, aut ſi quid his deterius. Sentit, eruditionem eſſe pernicioſam, ſi in animum inciderit pravis affectibus corruptum: & quò quæque diſciplina ſanctior, hoc ſit pernicioſior, ſi contigerit improbo. Velut bono Theologo nihil melius, malo nihil peſtilentius. *Eraſm. lib. 7. Apophthemat. Gellii lib. 17. c. 19.*

PROMETHEUS, quum ignem è cœlis in terras deportaſſet, eumque primùm viſum Satyrus complecti vellet, & exoſculari: Heus! inquit, ni caveas Hirce, profectò dolebit tibi mentum. Admonens, etiam quæ natura pulcherrima ſunt, maximèque neceſſaria, tamen fieri pernicioſa, niſi rectè H utaris. *Eraſm. lib. 8. Apophth. ex Plut.*

LUDOVICUS XI. Galliar. Rex, hominem illiteratum, inſignem habere Bibliothecam intelligebat, & ſubridens, eum gibboſo comparabat, qui cum gibbi onus in dorſo ferat, nunquam intuetur illud: ſentiens, abuſum eſſe comparare librorum copiam, quibus uti neſcias. *Corroſetus in dict. memor. Beyerl. in Apophth. Chriſtian.*

☞ *Vide Prodigalitas, & Titulos earum rerum, quibus homines plerumque abutuntur.*

ABUSUS SACRÆ SCRIPTURÆ.

☞ *Quære Sacra Scriptura, Hæreſis, &c.*

ABUSUS SACRORUM ORNAMENTORUM.

☞ *Quære Titul. de Paramentis Eccleſiæ, Sacrificio.*

Acade-

A

Academia.

* DEFINITIO, ETYMOLOGIA, & APPELLATIONES VARIÆ.

ACADEMIA Ἀκαδημία, vel ut Suidas Ἀκαδήμεια, locus eſt nemoroſus, mille paſſus ab Athenis diſtans, ab Academo Heroe, ut placet Eupolidi, ita dictus. Ubi & Plato natus eſt, & Philoſophiam magna auditorum frequentia profeſſus fuit. Ejus ſectatores Academici, ſicut alii à Stoa Stoici, appellati fuere: hinc illud *Timonis apud Laert.*

Hos inter Dux ille Plato celſiſſimus ibat,
Cujus ab ore melos manabat, quale Hecademi
Arbuſtis lepida modulantur voce cicadæ.

Anteà enim per (E) Ecademia dicebatur; volunt namque non Academum, ſed Ecademum ſcholas ibi inſtituiſſe. Ita namque *Horat. lib. 2. Epiſt.*

Scilicet ut poſſim curvo dignoſcere rectum,
Atque inter ſylvas Ecademi quærere verum.

B Erat igitur Academia gymnaſium inferius: quum ſuperiori gymnaſio, cui Ariſtoteles præerat, nomen eſſet Lyceum, Λυκεῖν; quæ & inferior ambulatio & ſuperior dicebantur.

Academia noſtro tempore uſurpatur pro urbis parte, in qua celebrantur ſtudiorum gymnaſia: ut Academia Pariſienſis, quæ vulgò Univerſitas dicitur.

Academia quoque dici poteſt quælibet litterarum ſchola inſignior atque celebrior.

Fuit etiam eo nomine villa Ciceronis ad Avernum lacum, non procul à Puteolis in littore ſita, porticu & nemore inſignis, à qua etiam Academicis quæſtionibus, quas in hac villa conſcripſit, nomen impoſuit. Extat de laude ejus villæ apud Plinium Laureæ Ciceronis liberti Epigramma: quod quia elegantiſſimum eſt, & dignum non ibi tantùm, ſed ubique legi, his adſcripſimus:

Quod tua Romanæ vindex clariſſime linguæ,
Sylva loco melius ſurgere juſſa viret:
Atque Academiæ celebratam nomine villam,
Nunc reparat cultu ſub potiore vetus.
C *Hic etiam apparent lymphæ non ante repertæ,*
Languida quæ infuſo lumina rore levant.
Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hos dedit, hac fontes quum patefecit ope.
Vt quoniam totum legitur ſine fine per orbem,
Sint plures oculis quæ medeantur aquæ.

Hæc Plinius lib. 31. c. 2.

Recentiorum quidam Scholas publicas, quòd auctoritate publica, ſive, quod idem ferè eſt, publicè inſtituuntur, quidam Univerſitates appellare malunt. Non quòd omnes liberales artes in eis doceantur (multæ enim ad certarum tantùm diſciplinarum profeſſionem eriguntur) ſed quia profeſſoribus & ſtudioſis litterarum Collegium & Univerſitatem habere licet, quod alioqui jure prohibitum eſt.

Syrii & Babylonii à concertatione, quæ veritatis indagandæ gratia inſtituitur, Cuniechiam olim appellare ſolebant.

* CUJUS AUCTORITATE ERIGENDÆ.

SOPHOCLES Athenis legem tulit, *auctor. Laert.* ut neque D Scholæ eligerentur, neque Philoſophorum quiſquam præeſſet, niſi id Magiſtratus decreviſſet.

Ita nos eam demùm veram Univerſitatem fatemur, quam ſummi Pontifices, Imperatores, Principeſque Romani, certis privilegiis confirmarunt, ne ad ſeminanda potiùs vitia, quàm propagandas virtutes, ad evertendam Eccleſiam, quàm conſervandam veram religionem à quibuſdam privata auctoritate inſtituatur.

Quare DD. *in L. Deo Auctore, C. de veteri Iure enucl.* Doctorem creare (quod in veris ſolùm Univerſitatibus permittitur) Pontificis aut Principis eſſe affirmant. Sicut Ægyptiorum Sacerdotes non niſi auctoritate Regia olim publicis gymnaſiis præficiebantur.

Et *Azo Lucerna juris C. de profeſſor.* eligendos & Scholis præficiendos eſſe docet, auctoritate publica cum decreti interpoſitione. D. enim Auguſtus, ut major Juris auctoritas haberetur, decrevit, ut nemo de Jure reſponderet, niſi Principis auctoritas accederet, ſicut *in l. 2. §. Primus Divus Auguſtus, ff. de origine Iuris* videre eſt.

* QUO LOCO. E

Quoniam divinarum & humanarum legum ſcientiam in majoribus tantùm civitatibus docere permiſſum eſt, ut §. *hæc autem tria, Proœmio, ff. gloſſ. c. 3. Epiſc. diſt. 80. gloſſ. in verbo civitatib. cap. ſtatutum, de reſcript. in 6.* docetur: Univerſitates etiam in celebrioribus civitatibus inſtituendæ ſunt. Nam Romæ ſolùm & Conſtantinopoli olim divini humanique Juriſprudentia tradebatur, ſicut *Azo Iuriſconſult. in L. unica, C. de ſtudiis lib. urb. Roman. & Conſt. lib.* 11. perſcripſit. Metuebant enim glorioſiſſimi Imperatores, *auctore Bartolo*, ne ſacroſanctæ leges, quæ cœlum ipſum terramque tuentur, in obſcurioribus locis, propter Doctorum virorum penuriam, turpis lucri gratia, ab imperitis corrumperentur.

Quod cum Majores noſtri diligenter obſervarint, noſtro tam periculoſo tempore tantò accuratiùs obſervandum erit, quantò hominum improbitas major eſt, & plurima in univerſam philoſophiam vitia irrepſerunt, ne in totum aliquando corrumpatur.

Neque civitatis tantùm, ſed loci quoque ſalubris & opportuni in inſtituendis Univerſitatibus diligens ratio habenda eſt, quemadmodum egregiè mihi perſpexiſſe videntur Poetæ, qui Muſas in Helicone & Parnaſſo amœniſſi- F mis tutiſſimiſque montibus habitare finxerunt. Unde & *Strabo lib.* 5. affirmat, Neapoli olim ob aeris puritatem celeberrimam exſtitiſſe Univerſitatem; & *lib.* 14. ait, Tharſenſem Academiam propter Cydmi ſaluberrimam aquam locique commoditates, Alexandrinam & Athenienſem gloria litterarum ſuperaſſe. Quamvis velint nonnulli, Academiam, locum fuiſſe inſalubrem, eumque à Platone electum ut diſcipuli nullam voluptatem caperent, præterquam earum rerum quas diſcerent, ut author eſt *S. Hieron. l. 2. cont. Iovinian.*

Igitur locum à turba remotum univerſitati aſſignabunt Magiſtratus, quomodo Philo memorat, LXX. Interpretes Bibliorum ſecretum ac puriſſimum locum elegiſſe ſuis lucubrationibus.

Et Eſſeni Judæi, ut magis pietatem colerent, & diſciplinas liberiùs ſectarentur, ſcholas ſuas ad lacum Aſphaltem, & hortos balſami atque palmarum, leguntur inſtituiſſe.

Unde etiam Jure cautum, ut qui locum ſtudiis commodum occupat, priuſquam illa eò transferantur, teneatur eumdem dimittere. *Bart. l. unica, C. de ſtudiis.* G

* ACADEMIARUM

Inſtitutio perantiqua.

In Oriente, unde omnia bona & pulchra, fuit jam olim Academia apud Judæos, tempore Joſue fortiſſimi Ducis, quæ *Dabir* dicebatur, & prius *Carjath Sepher*, hoc eſt Civitas litterarum. Græca Biblia τὸ δὲ ὄνομα Δαβεὶρ ἦν πόλις γραμμάτων τὸ πρότερον. *Ioſue c. 15. & 21.*

Sed & oppidatim Scholas habuere Judæi, quas ſuo nomine *Batte Midras* vocabant (à peritis accepi) inſtituendæ pueritiæ. *Iacob. Middendorpius.*

MOYSES inſtitutus dicitur in omni doctrina Ægyptiorum: fuere igitur loca, ubi ea doceretur jam in lege Naturæ, antequàm legem ſuam ſcripſiſſet Deus, eamque populo propoſuiſſet. Ac videtur hæc Academiarum inſtitutio natura duce primitùs facta fuiſſe. Quippè animus hominis ſemper ad diſcendum avidus. Ex quo enim immortalis eſt & infinitus, natura ſua medias rerum ſenſibilium cognitiones appetit, ut per eas ad primam illam Dei, rerumque divina- H rum cognitionem pertingat, ut docet Apoſtolus *in epiſt. ad Rom.* dum ſcribit: Inviſibilia Dei intellectu conſpici per ea quæ ſunt facta.

☞ *Vide infrà, Inſtitutio.*

ACADEMIÆ MATERIALITER CONSIDERATÆ.

De Academiis peculiarem commentarium edidit Iacobus Middendorpius An. 1167. *in argumento à paucis vel nullis tractato, & ingenioſum & laborioſum, è quo nos etiam huc pauca tranſtulimus: quamvis etiam aliorum ſcriptis fuerimus uſi.*

UT TOTUM. SIC ACADEMIÆ DANTVR PUBLICÆ. HUC

Inſulæ Academiis claræ.

A Fynnano Scotorum Rege introducti primū Durcerglii, Druydę Latinis dicti, philoſophiæ Gr. periti, ſacrorum præſides

A des interpretes. Data iis Mona inſula (quæ Britanniam & Hiberniam eminus, Brigantiam verò, cui & continenti tum penè juncta, cominus reſpiciebat: nunc autem magno maris tractu quatuor ſupra xx. millibus paſſuum ab illis disjuncta) ut illic loco ſacrato, & Druydum omnium ſede primaria, ſacer magiſtratus conſideret; reliqui per regiones diſperſi ſacris operarentur miniſteriis: certo verò anni tempore Monam cuncti convenirent, ſummi magiſtratus arbitrio, ut ſi quid forſitan minùs ritè adminiſtratum foret, communi conſilio repararetur. Profecerunt ſubindè in naturalium rerum ſtudiis & in morali diſciplina mirificè, ut ad ſe privata ſimul publicaque judicia pertraxerint. Interdicebant ſacris, qui eorum non ſtetiſſet decreto. Is porrò in numero ſceleratorum habebatur: omnes congreſſum illius fugere, neque jus petenti reddere. Habebant & Druydes militiæ vacationem, omniumque rerum immunitatem. *H. Boeth. lib. 2. ex Plinio, Tacito, Strabone, Cæſare*, qui Druydum religionem in Britannia ortam (Albionem totam, Romano- B rum ſcriptorum more, Britanniæ nomine nuncupantes) inde in Galliam propagatam teſtantur.

JAPONIA Indiæ inſula habet præclaras aliquot Gentilium Philoſophorum Academias. Quarum celeberrima perhibetur Banduenſis. Primum ab hac locum Meacenſis obtinet, collegiis præcipuis quinque: & ſacrificulorum, quos Bonzios, & Monachorum, quos Leguixil vocant, & monachorum cœnobiis plurimis inſignis. Præter hanc ſunt claræ admodùm, Cajana, Negruenſis, Hojama, & Frenojamæ, omnes non procul à Meaco ſitæ: quarum ſingulæ ter mille, & quingentis, & eò ampliùs, auditoribus frequentantur. *Ioan. Metellus*.

Urbes Academiis nobiles.

Indiæ.

Urbs Indiæ Goa, variis hominum generibus abundat Ampliſſimum hìc Collegium Societ. Jeſu, Joannis III. Luſitaniæ Regis beneficio egregiè locupletatum, poſſidet, in C quo ultra ſexcentos diverſiſſimarum gentium pueros ad pietatem & litteras diligenter informari proditur: nimirùm Brachmanas, Perſas, Arabes, Æthiopes, Gafres, Canarios, Guazarates, Dacamios, Malavares, Bengalamos, Canaræos, Peguos, Patanes, Chingalas, Javenſes, Malajos, Manancabos, Macazajos, Maluccos, Sionios, Mauros, Sinas, cæteroſque id genus. Et ex hac demùm Schola, quæ Theologiæ bonarumque litterarum ſtudiis floret, in omnes Orientis provincias, domum quiſque ſuam, mittuntur. Adeò ut hoc Collegium, totius in India Chriſtianæ religionis & Reipublicæ ſeminarium non immeritò dici poſſit. *Ioan. Metell. in epiſt.*

Turciæ.

Ioannes Bohemus auctor eſt, apud Turcas in celebrioribus civitatibus etiam Academias eſſe inſtitutas, in quibus leges politicæ explicantur. Sacra enim volumina in templis proponuntur; & ex illis deſumuntur, qui publica officia obire poſſint, ac in rebus civilibus & Religione aliis præficiuntur. Cæterùm quid de hac Academiarum apud Turcas inſtitutione dicendum ſit, trademus infrà. ☞ *Tit. Academiæ* D *nullæ*.

Hoc interim conſtat, in arce Imperatoris quam *Lengoidam*, id eſt, novam arcem vocant, locum quendam peculiariter deputatum inſtitutioni nobilium adoleſcentum, è quibus centum nonnunquam & plures in lingua & religione Turcica exercentur, certis magiſtris ad id deputatis, qui ſingulis artium & diſciplinarum ſingularum traditionibus præſint, eorumque rectæ inſtitutioni invigilent. *Leviceru. lib. 2. hiſt. Turcarum*.

Aſiæ.

* In JAPONIA Bonzii ſunt: & ii magnos diſcentium cœtus in primariis oppidis habent. Imò ſunt, qui cum Pariſienſi Academia conferant.

Inter Laodiceam atque Caruram Syriæ templum eſt Menſis Cari appellatum, in maxima veneratione. Maxima Medicorum ſchola ibi à Zeuxide conſtructa eſt ſub Auguſto, & poſteà ab Alexandro Philalethe: quemadmodum ſuperiore tempore Eraſiſtratiorum ſchola Smyrenæ ab Iceſio. *Strabo lib. 12.*

BERYTHUS ſive Barutus Phęniciæ urbs, optimarum artium ſtudio præ cæteris olim florentiſſima fuit. Imperator *in §. hæc autem tria, procœmio, ff.* pulcherrimam civitatem, & legum nu- E tricem meritò appellari fatetur: *& Azo C. de ſtud. lib. urb. Rom. & Conſt. confirmat*. Imperatores eam idcircò Metropolitani dignitate exornarunt, & Jus civile Romanorum illic publicè doceri voluere, auctore *Bartol.* ut ſuprà.

Ægypti.

MEMPHIS non ſolùm propter religionem, cultumque Deorum, & Regum ſepulturam celebris, verùmetiam ſapientiæ ſtudio florentiſſima olim urbs fuit. Nam Abraham Patriarcha è Meſopotamia in Ægyptum profectus hìc habitaſſe, & variarum artium doctrinam importaſſe creditur. Quas eorum Vates (ſic enim profeſſores appellabantur) tam ſuperſtitiosè colebant, ut ex rerum naturalium obſervatione & aſtrorum curſu etiam futura prædicerent, ſicut ex *Commen. D. Hieron. in 19. caput Iſaiæ, & 30. Ezechielis*, non obſcurè colligitur. *Middendorpius*.

HELIOPOLI præter ampliſſimas domos, in quibus ſacerdotes, philoſophiæ & aſtronominiæ dediti, verſabantur, Philoſophorum quoque Græcorum habitationes ſe vidiſſe ſcribit *Strabo*. Uti etiam in urbe SAIS.

F Habuit Alexandria olim omnium liberalium diſciplinarum ſcholas, teſte *Strab. l. 14.* Unde arbitror natum, ut per exochen Alexandria nuncuparetur πόλις, id eſt, Civitas, ſicut Aſty dicebantur Athenæ peculiari ratione, quando & inibi bibliothecæ poſt alia fuerunt mirabiles, ac loculi monumentorum veterum, ſeptingenta ferè continentes voluminum millia. Propterea ſcienter Apulejus eruditos appellat Ægyptios: quin & à Macrobio dicitur mater artium Ægyptus. Huic ſcholæ propagationem Philoſophiæ bis debet Græcia: ſemel poſt Alexandri Magni obitum, cùm propter ſucceſſorum ejus bella inteſtina ex tota Græcia litteræ exularent, ſola Alexandria portum quietum Muſis præbuit. Iterùm ſub Ptolemæo, Cacergete ab Alexandrinis dicto, qui ſeptimus Rex fuit: cujus crudelitate optimi quique partim cæſi, partim in exilium acti, inſulas & urbes Græcas ſtudiis ſuis, in quibus excellebant, replevere. *Athen. lib. 4. c. 24.*

* Multa hujus Academiæ celeberrimæ exempla habemus. Inter quæ illuſtre eſt de Julio Cæſ. qui cum poſt Pompei necem huc veniſſet, urbem circumiens, mirabatur pulchritudinem, & ſtans inter plebem, Philoſophos audiebat, G nempè in publicis gymnaſiis. *Appianus 11. Civil.*

* Etiam Sacræ litteræ ſtatim poſt tempora Apoſtolorum ibidem floruerunt: ut meminit *Euſeb. Cæſar. l. 5. hiſt. Eccleſ.* Docebat, is inquiens (loquitur autem de Pantæno) Alexandriæ: Cum ex antiquo ſchola illic conſtituta eſſet ſacrarum litterarum, quæ & ad noſtra tempora pervenit. Præfuerant huic ſcholæ Pantænus, Clemens, Origenes, Heraclas, Dionyſius, viri non in ſacris tantùm, ſed & profanis ſcientiis doctiſſimi, quos Catechiſtas vocabant, à præcipua & maximè neceſſaria parte inſtitutionis. Nazianzenus eam officinam pulcherrimam univerſæ doctrinæ appellat. Ex qua prodierunt Euſebius Emiſſenus, Baſilius, ejuſque frater Cæſarius.

* Viguit & Medicina Alexandriæ, ut conſtat ex *Ammiano*; adeò ut ad commendandam artis auctoritatem, pro omni experimento ſufficeret dicere, quòd quis Alexandriæ fuiſſet eruditus.

* Idem ſcriptor teſtatur, in illa urbe doctrinas ſemper floruiſſe, donec Aureliano Imperatore civilibus diſſidiis concuſſa, amiſit regionis maximam partem, quæ *Bruchium* appellatur, diuturnum præſtantium hominum domicilium.

Scribit *Beniaminus Iudæus*, ſe extra urbem magnum vi- H diſſe ædificium, in quo xx. ferè Scholæ erant, à totius Orbis hominibus frequentatæ.

Græciæ.

Quidam Græcorum Athenas dixerunt Græciæ muſeum, ἑλλάδος μουσεῖον. Pindarus culmen firmamentumque ἔρεισμα. Thucydides ἑλλάδος ἑλλάδα, Græciæ Graciam. Pythius Veſtam Græcorum & Prytanæum. *Cælius lib. 18. c. 25. A. L.*

Chalcis Eubœæ metropolis eſt, hinc Eretria, civitates pacis bellique artibus celebres, philoſophantibus amœnum tranquillumque ſuppeditabant diverſorium. Eretriorum philoſophorum ſchola, Menedemi inſtituto, Eretriæ conſtitit, & priùs etiam Ariſtotelis ſecta, qui Chalcide verſatus eſt ad obitum uſque. *Strabo lib. 10.*

Gymnaſium Rhodium propter incredibilem loci opportunitatem, & auctoritatem urbis, celeberrimum fuit.

BYSANTINA ſive Conſtantinopolitana ſchola poſt Chriſtum aluit Baſilium Magnum. Julianum etiã apoſtatam illic erudiit Mardanius eunuchus. In ea deniq; ſchola octavo ſeculo poſt Chriſtũ erat œcumenicus doctor, & duodecim habe- A bat collegas, quibus publicus victus dabatur. Erudiebant illi diſcipulos in ſacris ſimul & philoſophicis ſtudiis, & Imperatores ex iis viros ad Remp. ſeligebant. Sub Juſtiniano, Theodoſio, Leonibus. *Zonar. tom. 3.*

ANTIOCHENÆ ſcholæ meminit *Euſeb. l. 7. cap. 29.* cui Malchionem (qui Paulum Samoſatenum hæreticum confutavit) præfuiſſe, & in ea Græcas literas profeſſum eſſe ſcribit.

LAODICEÆ Epiphanius ſophiſta præfuit, quam frequentavit Apollinarius.

NICOMEDIENSIS Lactantio clara fuit, qui rhetoricam ibi docuit. Sub Conſtantio Libanius ſophiſta, Conſtantinopoli ejectus, eò quoque venit.

CÆSARIENSEM ſcholam Cappadocum, Julianus & Gallus fratres martyres frequentarunt: item Baſilius M. & Nazianzenus.

Sinarum.

Apud Sinenſes, ut latiùs dicemus infrà, ☞ *Tit. Academiæ nullæ*; quamquam ſcholas publicas, aut Academias non habeant, tamen ſunt in urbibus celebrioribus apud illos B Ludi, ſive ingentia palatia ſumptu publico extructa, in quibus inſtituitur quotannis feria 9. 12. ac 15. Lunæ octavæ, per Cancellarium ad hoc à Rege deputatum, examen illorum, qui privatim à magiſtro inſtructi, ad gradum aſpirant. De quo nonnulla paulò poſt, *tit. Gradus Academici. Nicolaus Trigaut. l. 1. Hiſt. Sinarum.*

Africæ.

CARTHAGO opulentiſſima civitas, Rom. Imperii æmula, artium liberalium ſcholas, philoſophorum officinas, linguarum denique & morum gymnaſia habuit, ut inquit *Salv. l. 7. de jud. & provid. Dei*.

MAROCCUS urbs Mauritaniæ maxima ad mare Atlanticum, Mahumetana Academia nobiliſſima fuit, quam *Io. Leo l. 2. c. 45.* Africæ eleganter deſcribit. Ex ea certè doctiſſimi Arabes, quorum etiamnum laboribus fruimur, Averroes, Raſis, Albumazar, prodiere, aliique innumeri.

* ALMANZORES namque Rex propagandis diſciplinis hìc ſuperba ædificia inſtituit; de quibus Jo: Leo teſtis oculatus, Templum eſſe ait, quo majus vix in orbe reperiatur. In cujus porticu centum circiter librariorum officinæ, totidem C è regione fuerunt. Prætereà collegium ibi nobiliſſimum, in quo xxx. aulæ ſive atria, & in medio unum ampliſſimum: ubi legere publicè ſolebant, dum urbs & literę in ea florebant. Attamen omnia hæc temporis lapſu interierunt, & Feſſam migrarunt.

In hac urbe Feſſa ducentas ferè numerari Scholas, quarum quædam formam habent ampliſſimæ Aulæ: & in Ambitu diſpoſiti gradus, quibus pueri ceu ſedilibus utuntur, eodem authore traditur. Vide *Lipſium in deſcript. Lovanii c. 6.*

Americæ.

In novo etiam Orbe apud Mexicanos, memorante *Lupo Gomora*, Scholæ in templis fuere, & ad eas divites præſertim nobileſque filios mittebant inſtruendos, ab anno ætatis quinto; neque egredi fas erat. Et ad uſum juventutis hujus, agri & terræ erant, è quibus annonam & fructus colligebant.

Europæ.

Atque in primis Italiæ, quæ ut ingeniorum, ita & diſciplinarum fœcundiſſima nutrix.

* In Italia primùm occurrunt Thurii, quorum legislator D magnus ille Charondas, inter alia ſancivit, omnes civium filios diſcere literas. Et ne fortaſſis pauperes inopia non poſſent, ut è publico civitatis ærario honoraria præceptoribus ſolverentur.

* In eadem Italia Heraclea, Metapontus, & Croto, ſtudiis celeberrima fuerunt. Item Faliſci, & Habii illuſtres ſcholas habuerunt, quò Romulum & Remum ablegatos *Plut.* memorat.

CATANENSIS ſchola celebris in Sicilia, in qua Steſichorus ingenii cultum cœpit.

Græcia capta ferum victorem cepit, inquit *Horat.* Ergo & Romæ, Athenarum æmulatione, ſtudia florere cœpere, ſub Imp. potiſſimùm.

* Quippè paulò poſt bellum Punicum primum T. Livius poeta Romæ fabulas docere cœpit, & ſub idem tempus mercede Grammaticam docuit Sp. Carvilius, quamvis *Suet.* velit, Cratem Mallotem primum in urbem Grammaticam invexiſſe, & refert idem ipſe, ſtatim poſt bellum Punicum 2. ſupra xx. Grammaticorum celebres Scholas in Urbe fuiſſe. Paulò poſt Rhetores & Philoſophi Romæ cathedras habuerunt, omneque doctrinæ genus, quod hominum ingenium E deceret, invectum fuit. *Agell. l. 17. noct. Att. de Gramm.*

L. B. Theat. vit. Human. Tom. I.

Neapolitanis olim Sirenes imperaſſe dicuntur, & in vicino monte ſepulta Parthenope Sirenum una, monti & urbi nomen dedit. Poſt montem protenditur in meridiem promontorium, quod à deliciis ſortitum nomen eſt Pauſilypum: è regione verò alterum exiſtit promontorium, lapides olim Sirenum appellati. De quorum cantu pervulgatæ fabulæ, ad eloquentiæ & literarum ſtudia accommodari poſſe videntur; quòd in ea Loca ob amœnitatem & diſciplinarum ſtudia Sirenes Reginæ peregrinos attraxerint, ad quas etiam Homericus ille Ulyſſes pervenit, qui à Calypſo Aſtronomiam, ab Æolo Phyſiologiam, à Circe Magiam hauſiſſe perhibetur. Itaque receſſus ille Parthenopæus muſis jam olim conſecratus fuit: maximè cùm etiam Zeno & Parmenides ſummi Philoſophi ſatis propinquis è locis oriundi fuerint. *Pontan. l. 6. belli Neap.*

BONONIENSIS Academia à Theodoſio juniore inſtituta traditur à quibuſdam. Extat adhuc publico loco privilegii formula à Thęodoſio conceſſi, quod tamen ſtylus ipſe indicare videtur adulterum eſſe, & ab iis confictum, qui hac ratione translatæ Patavium Academiæ à Friderico II. Imp. au- F ctoritatem elevare conabantur. Ut ut ſit, illud ſatis conſtat, Fridericum victis Bononienſibus, quoniam Cœleſtino IV. Pontifici faverent Academiæ, jura Bononia Patavium tranſtuliſſe. Cuſpin. Platina, Sabellicus. Eundem pari ratione Veronenſes eodem privaſſe privilegio, & Patavinis donaſſe, ſcribit *Cuſpin.*

PATAVII non alio jure quàm inveterata conſuetudine docendarum legum gymnaſium haberi conſtat, Bononiæ ex privilegio Lotharii Imper. teſte Bartolo in procœm. Digeſtor. Bologninus ex privilegio Theodoſii junioris, quod lapidi inciſum illic ſpectatur. Id privilegium verò Theodoſii non eſſe, Alciatus putat *tit. de agric. & cen.* in tres poſteriores *lib. C. Ant. Vacca in Digeſtor. procœm.*

Laurentius Medices, Petri F. Reip. Florentinæ Princeps, liberalium artium inſtaurandarum curam ſuſcepit, Piſis, opportuna maxime civitate, quò plures ſuo beneficio comprehenderet, gymnaſio inſtituto, ac claris hominibus ſapientiæ ſtudio, amplis præmiis excitatis, qui juris civilis prudentiam, & Philoſophiam, ac cæteras liberales artes pro- G fiterentur. *Brut. l. 8. Flor. hiſt.* Itaque nobiliſſ. quondam urbem ad ſolatium veteris amiſſæ libertatis novo decore ac extremæ juventutis frequentia recreavit. *Iov. l. 1. in Leone X.*

Hiſpaniæ.

A SALMANTICA omnes ferè Hiſpaniæ urbes & populi tanquam à domina leges, inſtitutiones, & jura petunt. Hinc ad curiam Regiam conſiliarii, Jureconſulti, Theologi, medici, & cujuſcumque ſcientiæ Doctores & magiſtri proficiſcuntur, ex Collegio præſertim quod Jacobus Agnajus Hiſpalenſis Archiepiſcopus condidit, & cenſu magno dotavit: & altero, quod Alfonſus Fonſecus Archiepiſcopus Toletanus ædificavit. Ad hoc gymnaſium non Hiſpani ſolùm, ſed aliarum quoque nationum literis operam daturi conveniunt. In qua noſtris temporibus eorum, qui literis operam dabant, millia ſeptem recenſita fuere. *Marin. l. 2. rer. Hiſp.*

Invaleſcente Mahometis ſecta, Saraceni è Syria, Ægypto, Arabiaque Africam tanta vi invaſerunt, ut pulſis Chriſtianis, invectaque, & latè propagata ſuperſtitione, in Hiſpaniam uſque victores tranſcenderint: & cùm Afri, Numidæ, Mauri, & denique omnes Pœnorum gentes nova H ſacra facilè ſuſcepiſſent, in Illiberi Bæticæ Regia urbe, quam Granatam noſtri vocant, poſita eſt Maurorum ſedes, & Cordubæ gymnaſium cum celebri Bibliotheca inſtitutum, ubi Arabicarum literarum profeſſores, juventutem docendo, excipiendoque intermorientes apud Græcos optimarum ſcientiarum atque artium diſciplinas, cum inſigni ingeniorum gloria floruerunt. *Iov. l. 33.*

Alcala Deſinari, à flumine Finari, quod Tage abſorbetur, ubi artium floridum gymnaſium, & hoc Complutum eſſe, ab Ptolemæo demonſtratum oppidum, Hiſpani pro certo habent, ſicque illud in publicis appellant rationibus. *Mar. Aretius in Hiſp. chron.*

Galliæ.

* Tradunt, L. Apulejum Grammaticum, ab Eſicio Calvino Equite Rom. prædivite, quadringentis annuis conductum ad docendum in Gallia Togata, ait *Suet. de Grammat.*

MASSILIA Phocenſium colonia, cum morum probitate eruditionem quoq; è Græcia ſecum in Galliam attulit, ita ut civitas illa & philoſophiæ & ſanctiſſimorũ morum Academia

C fuerit

A fuerit habita, non Gallis modò, ſed & Romanis ipſis, *teſte Strab. l. 4.* Scribit *Corn. Tacit.* Maſſiliam Agricolæ ſocero fuiſſe ſedem ac magiſtram ſtudiorum, civitatem Græca comitate, & provinciali parſimonia mixtam, ac benè compoſitam. Nobiliſſimus quiſque ex Romanis pro Attica peregrinatione, eò ad ingenii cultum proficiſcebatur. Galli, gens alioqui barbara, pronis animis ad Maſſilienſium imitationem ſe tandem compoſuerunt. *Cal. l. 16. c. 8.*

Lugduni ad confluentem Araris, & Rhodani, olim Sapientiæ ſchola fuit inſtituta à Græcis, qui eò exules confugerant, quam recordatione patriæ ſuæ novas Athenas appellarunt. Nomen adhuc retinet, & mutilato vocabulo, Enai pro Athenæ appellatur. C. Jul. Cæſar eo loco aram extruxit, ad quam Græcæ ſimul & Latinæ facundiæ certamina quotannis fierent: ita quidem ut victor ampliſſimis cohoneſtaretur muneribus, victus vel lingua ſua accuſationis formulam deleret, vel in vicino Arari ter demergeretur, virgiſve cæderetur. *Vnde Juven.*

Palleat ut nudis, qui preſſit calcibus anguem,
Aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram.

B *Anton. Pinetus in deſcript. Vrbium.*

Parisiensis à Carolo M. inſtituta, à Ludovico Pio reſtituta.

Siquidem Carolus M. Grammaticæ, Arithmeticæ, aliarumque artium magiſtros Roma in Galliam deduxerat, & ubique ſcholas inſtituere cœpit,

Clemens V. Lemovix, Bertrandus Burdegalenſis Epiſcopus anteà dictus, is qui Roma Avenionem Pontificiam ſedem tranſtulit, Aurelianenſem ſcholam ſub Philippo Pulchro Rege inſtituit, anno D. 1312.

Prodiit ex illa Bertrandus Burdegalenſis Archiepiſcopus, qui poſtmodùm ſub titulo Clement. IV. Pontificatum geſſit. *Æmil. l. 8.*

Cadurcensis Academia à Joanne XXII. patria Cadurco inſtituta. Guil. Benedictus in rep. *c. Raynutius.*

Poloniæ, Boemiæ.

Anno 1361. Cazimirus II. Polonorum Rex miſſis Avenionem ad Urbanum V. oratoribus impetravit, ut in Ruſſia cathedra metropolitica, Cracoviæ verò ſive adeò Cazimiriæ nova Academia inſtitueretur. Academiæ cœptum C opus, magna parte ædificiorum conſequentibus annis magno ſumptu excitata, ad finem tamen tunc perductum non eſt, Cazimiri morte intermiſſum. Invidere ipſi fortaſſis fata hanc gloriam, ut integra ſolidaque Uladislao Jagelloni maneret. *Cromer. l. 12.*

Carolus IV. Imp. Pragæ in Boemia circa an. D. 1365. Academiam inſtituerat, quam Germani regebant. Ægrè id ferebant Boemi, & Joannis Viclefi Angli ſectam ad vexandos & argutis diſputationibus obruendos Germanos amplexi, à Venceslao Rege ignaviſſimo impetrarunt, ut Pragenſe gymnaſium ritu Pariſienſis gubernaretur. Ea res magiſtratum Scholæ Germanis abſtulit. Germani commoti uno die ſupra duo millia Lipſiam Miſniæ urbem petiere, & Academiam illic erexere. Proinde Boemis ſcholæ ſuæ gubernatio liberè patuit, quorum Princeps eſt habitus Joannes Hus, cognomen mutuatus à villa Hus, in qua natus fuerat, quæ vox lingua Boemica anſerem ſignificat. *Æn. Syl. c. 35. Boem. hiſt.*

Germaniæ ſuperioris & inferioris.

D Carolus M. cùm victis Saxonibus primam Eccleſiam Oſnaburgenſem moliretur, legatos Conſtantinopolitanos ab Irene Regina & Nicephoro patricio, qui tum Orientis imperium occupabat, miſſos audivit, etſi neminem Græcæ linguæ peritum apud ſe haberet. Admonitus ea re Carolus, dedit privilegium novæ Eccleſiæ, ut utriuſque ibi linguæ ſcholæ haberentur, præeſſentque Doctores viri inſignes. *Crantz. l. 1. Metrop. c. 2.*

Anno 1419. Roſtochienſe Gymnaſium per Martinum V. ſummum Pontificem conceſſum. Principes Magnopolitani Joannes & Albertus, Eccleſias permiſere magiſtris diſtribuendas: ſenatus urbis conſtituit annua ſtipendia legentibus: multi ex vicinis contulere non pauca in dotem ejuſdem. Sed ea non diù permanſit ordinatio, ſurgente novo tumultu in urbe. *Crantz. l. 10. Vand. c. 30. & l. 11. Sax. c. 3.*

Anno 1392. publica Academia firmata eſt Erfordiæ, urbe Thuringiæ præcipua, & per Bonifacium IX. privilegio Theologicæ facultatis exornata: quum priùs ea caruiſſet, ne hæreſum pullularent venena. *Crantz. l. 9. Vandal. c. 28. & l. 10. Sax. c. 15.*

Uratislaus Dux Pomeraniæ ſcholam publicam ædificavit E Grifsvaldenſem, anno D. 1456. Munſterus in Coſmographia. Aliter *Crantz. l. 12. Vand. c. 38.* inquit: Circa annum Dom. 460. in oppido Grifsvaldenſi, Ducatus Volgaſtenſis (quem alii dixere Bardenſem) proconſul quidam veteri familia ortus, legum Doctor, præter multa alia ei oppido commoda comparata, publicum quoque gymnaſium ibi conſtitui curavit, & de ſtipendiis providit Doctoribus. Virtutis invidia à duobus ſicariis in foro ſedens interfectus eſt.

Albertus Dux Auſtriæ, Viennæ Auſtriæ Academiam inſtituit, anno D. 1361. *Gaſſar. in Epit. Chron.*

* Anno à Chriſto nato 1358. inſtituta fuit Academia in civitate Colonienſi, ac primarum facultatum, artiumque collegia & exercitia quoque erecta & aucta. Acceſſit Pontificis Romani, & Imperatoris conſenſus, qui inſtitutam ab ampliſſimo Senatu Academiam privilegiis cumularunt.

* Fuit autem Colonienſis Academia, mater Lovanienſis in Brabantia celeberrimæ, & integri nominis Academiæ: hanc autem inſtituit anno D. 1425. Joannes Dux Brabantiæ, quem bonum cognominant; & auctoritate Apoſtolica confirmavit primùm Martinus V. anno prædicto, deinde Eugenius F IV. Initium verò docendi cœpit pridie Nativitatis D. Virginis an. 926. Eoque tempore Imperii occidentis gubernacula moderabatur Henricus I. Luſit in eam *Juſt. Lipſius V. C.* & quondam in ea profeſſor celeberrimus, hoc carmine:

Salvete Athenæ noſtræ, Athenæ Belgicæ.
O fida ſedes Artium! ò fructu bona,
Lateque ſpargens lumen & nomen tuum!
Te Gallus, & Germanus, & Sarmata.
Inviſit, & Britannus, & te duplicis,
Heſperiæ alumnus, quam frequens frequentia
Stipavit olim, & advenarum copia!
Quæ minuit aliquid civicus, fateor, furor
Et Mars cruentus: ſed fuere quis neget?
Et fructus etiam apparet, ò quot millia
(Ita dico) protuliſtis inſignes viros,
Auxilia vel conſilia publicæ rei!
Quot famæ in æde conſecraſtis nomina,
Perennibus victura ſcriptionibus?
Et porro proferetis, & ſacrabitis,
Si donat aliquam mitior pacem Deus. G

Memorabile eſt quod hiſtoriæ referunt de Epiſcopis Leodienſibus: quos ajunt σεμνεῖα, hoc eſt, loca venerabilia, & ſcholas, ad ſtudia & bonas artes liberaliſſimè foviſſe, idque ex patrimonio divi Lamberti.

Dietherus Moguntinus Archiepiſcopus, ſcholam Moguntiæ extruxit. *Hedio in Chron. Germ.* Tempore Caroli M.

Eberhardus primus Dux Vvirtembergenſis, Tubingæ ſcholam publicam, anno D. 1476. condidit, ac ſtipendiis neceſſariis dotavit. *Idem.*

Rubertus Ruffus Comes Palatinus Rheni, & Dux Bavariæ, ſub Ludovico Bavaro Imp. conſtruxit ſcholam Heidelbergæ, eamque honeſtis ſumptibus dotavit. *Ibid. & Cuſpin.*

Albertus Erneſti F. Dux Auſtriæ, Friburgi Briſgojæ Academiam conſtituit, an. D. 1450. *Stumpfius.*

Basiliensis Academia iiſdem legibus à Pio II. Pontifice max. quibus Bononienſis, inſtituta an. D. 1460. Nam cùm Baſilienſis Concilii occaſione primùm inclareſcere, & ad futuros honores gradum facere cœpiſſet, tum etiam ſummam civium noſtrorum toto decennio, & in primis quum H peſtilentia laboraret, humanitatem expertus eſſet, gratitudinem ſuam hac ratione æternam extare voluit, liberali ſimul manu collegii D. Petro conſecrati reditus annuos Theologis, Jureconſultis, Medicis, pro ea qua tum fungebatur auctoritate concedens, Epiſcopo Baſilienſi Cancellarii Academici dignitatem tribuens. Itaque & à graviſſimo Pontifice ſuæ pietatis munus, & à viro doctiſſimo, ingeniorumque æſtimatore acerrimo, virtutis exercendæ palæſtram Baſilienſis civitas obtinuit.

Joachimus Marchio Brandeburgenſis publicam ſcholam condidit Francofurti ad Viadrum, an. D. 1506. *Sebaſt. Munſterus in Coſmog.*

Philippus Haſſiæ Landgravius Marpurgenſem Academiam inſtituit, an. D. 1526. *Stumpfius.*

Vvitembergæ in Saxonia, an. Chriſti 1502. Fredericus Elector Erneſti filius inſtituit univerſale ſtudium ex Lipſenſi & Tubingenſi univerſitate. Ornavit hanc Academiam alter Fredericus, ut optimi gymnaſii exemplar inde aliquando peti potuerit. *Pet. Moſellanus.*

* Anno

A * Anno Domini MDLXIII. Philippus II. Hiſpaniarum Rex potentiſſimus, ad inſtantiam Rom. Pontificis Pii IV. univerſale ſtudium inſtituit Duaci, quæ eſt urbs munitiſſima in finibus Hannoniæ: multiſque immunitatibus & privilegiis auxit, ac liberaliter contulit Domum & Arcem majorum ſuorum in Collegium Facultatis Artium. Extruxit ſcholam publicam, & 10. Floren. millia in ſtipendia neceſſaria Profeſſorum, donavit. Tantus hìc ſtudioſorum undique confluentium numerus eſt, ut celeberrimas Academias adæquet, imò ſuperet.

Britanniæ.

Sigebertus Orientalium Anglorum Rex V. Chriſtianum dogma complexus, hortante Felice Epiſcopo, natione Burgundo, ſcholas paſſim in ſuo regno poſuit, & in primis Cantabrigiæ anno 630. floruitque deinde gymnaſium bonarum omnium diſciplinarum perpetuò. Quamobrem Anglia quòd poſteà claros ſemper doctrina viros tulerit, haud dubiè Sigeberto cum primis acceptum referre debet. *Polyd. lib. 4.*

Lindifarnensis inſula circa Angliæ & Scotiæ limites, ab B Oſvaldo Northumbrorum Rege, Aidano Epiſcopo Scoto conceſſa eſt, in qua & ſcholam, & Eccleſiam Epiſcopalem erigeret, anno Dom. DCXL. *Idem.*

Alfredus Anglorum Rex, Neoto monaſticæ profeſſionis viro ſanctiſſimo hortante, Oxonii gymnaſium inſtituit, anno D. 895. propoſita mercede omnibus, qui publicè bonas artes profiterentur, quò multi doctrina clari confluxerunt, docendi gratia. *Polyb. 5.* Hujus precibus Martinus II. omnes Anglosaxonum ſcholas omni tributo relaxavit. *Rainulphus l. 6. c. 3.*

* Henricus Stantonianus illuſtris eques, cum ampliſſimis opibus abundaret, Cantabrigiæ magnificas ædes in uſum ſtudioſorum excitavit, quas Divo Michaeli Archangelo dedicavit: quod hodie bonarum literarum cultu mirè fervet.

* Eduardus II. Rex, Oxonii duo præclara Collegia erexit, quæ etiamnum bonarum artium plena ſunt, alterum appellatur Orialum, alterum ad aulam D. Mariæ vulgò dicitur.

* Gulielmus Vvanfletus, Epiſcopus Vintonienſis, Oxonii, in gratiam rei literariæ, publicas ædes extruxit, divæ C que Magdalenæ dicavit, in quibus literarum poſeſſores deſtinato in id proventu alerentur.

* Hugo Balſamus, Elienſis Epiſcopus, cum literarum ſtudia ſibi in primis augenda conſtituiſſet, Cantabrigiæ Collegium D. Petro dicavit: in quo noſtra quoque ætate mirum in modum vigent literarum ſtudia.

* Eduardus IV. Angliæ Rex, Cantabrigiæ auctor fuit Collegii Regii, quod hodie omnium ſtudioſorum juvenum frequentia, & meliorum literarum proventu, facilè Princeps habetur.

* Elizabetha Regina Angliæ, Eduardi IV. uxor, magnificum Muſis Collegium exædificavit Cantabrigiæ, magniſque auxit proventibus: vocatur Reginæ Collegium.

Aberdonensis Academia in Maria regione Scotiæ à Gul. Elphinſtoum Epiſcopo inſtituta. *H. Boeth. in Scotia.*

Anno 1411. felici auſpicatu cœptum eſt celebratiſſimum literarum gymnaſium S. Andreæ in Scotia. Poſteà Jacobus I. Rex in Scotiam ex Anglicana cuſtodia reverſus, doctiſſimos quoſque ad ſe ex omnibus regionibus evocavit. Convenere XIII. Doctores Theologi, octo Decretorum, ac D multi alii doctiſſimi viri, infinituſque auditorum numerus. Illos omnes magiſtratibus aut ſacerdotiis donavit. *H. Boeth. lib. 16.*

Turnbul, Epiſcopus Glaſguenſis, gymnaſium generale haud incelebre in Scotia in Glaſguenſi civitate inſtituit, ann. D. MCCCCLIV. *H. Boeth. l. 28.*

Monaſteria.

In Monaſteriis olim Scholæ erant, non ſacratum tantùm literarum, verùmetiam profanarum. In Britannia tempore Conſtantini, propè urbem Legionum, quæ nunc Cæſtria dicitur, nobiliſſimum fuit Bannochorenſe Collegium, quod plus quàm duo millia Chriſtianæ religionis ſtudioſorum alebat. Per 350. annos floruit in Anglia. Verùm illud poſteà Congellus Bannochorenſis civis, vir doctrina clarus, in monaſt. Apoſtolici ordinis mutavit, & circa ann. Chriſti 530. primus ejus Abbas factus eſt. Ex quo cœnobio deinde tota Europa monaſteriis repleta eſt. *Baleus narr. Cent. 13. ſcr. Brit.* Gregorium M. gymnaſia Britannorum tranſtuliſſe ad monaſteria, ad hæreſim Pelagianorum, quæ in ſcholis tradebatur, extirpandam.

Maidulfus Scotus Philoſophus, Malmesburienſe cœnobium anno D. 725. fecit, in quo ſcholam tam Græcæ, quàm Latinæ linguæ aperuit, & artes prælegit. *Balæus Centur. 14. cap. 26.* E

Rabanus in Fuldenſi cœnobio non ſolùm ſacras literas docuit monachos, ſed etiam artes. *Trithem. de Hirſaugienſi cœnobio.*

Tholegiense cœnobium ſub veteri Schaumburgo, Lotharingiæ ducum caſtro, an. D. 627. conditum, ut eſſet ſchola & Eccleſia Theologorum. *Bruſch. de Monaſt.*

Arx Altendorffenſium Principum, in domum Dei converſa, pietatis & literarum gymnaſium eſſe cœpit circiter an. Dom. 800. *Bruſch. de Monaſt. Vinearum.*

Privatæ Academiæ.

Felix armis, felicior literis Italia. Literis enim de toto orbe etiamnum triumphat: armis at olim triumphavit, ſed poſt abject. Barbarorum, & quorum ne nomina quidem veteres norant, procellis obruta, prædæ fuit & ludibrio. Atque, ut ea quæ ad publicam literarum gloriam pertinent, præteream, cùm F *ex Academiis illorum clariſſima ætate noſtra omnis generis diſciplinarum antiſtites per totum orbem Chriſtianum prodierint: de privatis ſaltem Academiis, quæ inter viros genere, & ingenio nobiles, in ſingulis ferè urbibus honeſtiſſimis fallendi temporis ratione excogitantur & exercentur, pauca quædam ex Minois Celſi Senenſis Academici Intronati hypomnemate ad Fratrem Bettum Romam tranſmiſſo afferemus. Erit fortaſſe, qui racemationis hujus noſtræ exemplo invitatus, vindemiam ipſam univerſim aggredietur, & quæ ſingulis in urbibus Academiæ privatæ nobiles extiterint, perſequetur.*

Senis Hetruſcorum.

Ann. 1525. ſex viri nobiles Senenſes, ut linguæ Hetruſcæ, Latinæ atque Græcæ exercitia, ad poeſim & eloquentiam facientia, promoverent, ſocietatem inivere legendo, interpretando, ſcribendo, diſputando, cui Intronatorum nomen fecere. Princeps creabatur bimeſtri quolibet, Archintronatus dictus: Conſiliarii duo illi aderant, cum Cenſore & Cancellario. Cenſor errores vel voce vel ſcripto admiſſos reprehendebat: ſcripta omnia ab Academicis oblata Aca- G demiæ ſuo tempore exhibenda cuſtodiebat, eaque ſucceſſori tradebat. Cancellarius ſeſſiones Academicas ſingulas annotabat: lectionum & ſcriptorum auctores, & argumenta diſputationum, præſides & antagoniſtas, conſultationes item in album referebat. Conſultare verò non niſi XII. ad minimum præſentibus licebat. Princeps cuicumque videretur Academico in proximum Dominicum (nam hic dies ſtatus erat) legendi munus demandabat: ille die poſtero Viatori Academiæ inſtitutum ſuum atque horam indicabat: Viator Academicorum ſingulis denuntiabat. Exoteris etiam quibuslibet patebat aditus. Si quis Academiæ nomen dare vellet, à duobus Academicis examinatus, recipiebatur, Academicis inde ornamentis à Promotore ſuo, corona ſcilicet hederacea, anulo libroque clauſo & aperto, donabatur, & in conſeſſum recipiebatur: ſed ante quadrimeſtre jus legendi ſcribendive publicè non habebat. Calendas Maji natalis erat Academiæ feſtus (quam efflorescentiam Zuchæ appellabant) eoque ipſo die quatuor cenſores legebantur, qui ſuperioris anni ſcripta omnia à Cenſore accepta proponerent, cenſerentque: quæ probarentur, Cancellario in Vo- H lumen Academicum referenda darent: quæ diſplicerent, auctoribus ſuis redderent. Leges & decreta ſcripto brevi comprehenſa erant: in cujus prima facie tres gnomæ ſpectabantur, Neminem lædere, Omnibus prodeſſe, & Mundum non curare, hoc eſt, & publica officia & privatas curas fugere, otiumque literarium ſectari. Cognomina Academicis ſingulis imponebantur, eorum quæ vel quoad animum, vel quoad corpus illis inerant malorum notæ, v. g. Duri, Vigilantis, Diſerti, Maniaci, Sicci. Symbolum Academiæ erat vas ſalinarium, è cucurbita emedullata à Tuſcis parari ſolitum, duobus ſupernè peſtillis inumbrantibus, cum hac gnome, Meliora latent, ſcilicet ut ſalis, utiliſſimi quidem, verùm utiliſſimi ſuaviſſimique condimenti, receptaculum eſt cucurbita, dum illud piſtillo gemino tunditur: ſic Intronatorum, hoc eſt, Stupidorum & Fatuorum, Hetruſca lingua, & per parodiam quamdam veluti intùs natorum, ſocietas Socratica quadam ironia ab omni faſtu externo aliena, intùs in ſuis viſceribus Actionis & Contemplationis jugi exercitio com-

paratam doctrinam ad uſum vitæ quotidianæ contineret. Præter multa linguæ Hetruſcæ exercitia, fabulas elegantiſſimas edidere, Ingannatorum, Amoris conſtantis, Alexandrum, & ſimiles. Academicos habuit nobiliſſimos, omni laude doctrinæ clariſſ. ſed & Principes viros, Marchionem Vaſtium, Florentinum, Biſignanum, Melphitanum, Salernitanum, Paulum Jordanum Urſinum, Ludovicum Toletanum, Ciapponem Vitellium. Oppreſſa inde Senenſi libertate, Academica exercitia aliquamdiù jacuere. Reſtituta tamen poſt, ipſo Florentino Principe ſpectante, Hortenſium fabulam edidit. Reſtitutione Intronatorum excitati quidam alii nobiles, iiſdem legibus & exercitiis Academiam novam inſtituere, Symbolum illis erat Cribrum, quod lingua ſua Hetruſci Vagliuni vocant. Itaque nomen ſibi ipſis impoſuere Travagliatorum, quaſi per Cribrum actorum, cum hoc dicterio, Donec impurum.

Eodem tempore Ephebi quidam honeſta æmulatione accenſi, Accenſorum nomen ſumpſere, in lectionibus & ſcriptionibus aſſidui. Inſigne habebant Pinum igne ſubjecto ardentem & fumigantem, cum dicterio, Hinc odor & fructus. Annis aliquot poſt exortum Intronatorum, Senenſes quidam Corteſiorum Academiam inſtituere, imitatione Intronatorum. Etſi citò deſiit. Alteram Deſioni condidere, ſex juvenes patricii, xx. minores, eo conſilio, ut jugi exercitio dignos ſeſe præſtarent, qui ſuo tempore ab Intronatis reciperentur. Et quidem cùm præclara ſpecimina publicis comœdiis edidiſſent, cum laude fuere recepti, ita quidem, uti cognomina quæ iidem ſibi ipſis blandientes impoſuerant, v.g. Aſtuti, Ingenioſi, Sublimis, in contrarium verterentur, Stupidi puta, Lunatici, Fumoſi. Symbolum habebant, Vitem in Myrto arbore aſſurgentem, cum hoc verſu, Queſto mi ſcorge, ove'l deſio mi tira, deſiderium & conatum ſuum emergendi ad altiora, Amorum ſuorum favore (quandoquidem ſacra eſt Veneri myrtus) foveri ſignificantes.

Bononiæ.

Celſus Sozinus Senenſis Jurecoſſ. Bononiæ circa an. Sal. 1554. Cal. Maji Academiam Sitientum inſtituit, ſed quæ à Jureconſultis potiùs quàm ab Oratoribus, aut Poetis excoleretur. Princeps erat ipſe Celſus, idemque judex diſputationum omnium. Duos habebat Conſiliarios, & Quæſtorem: Miniſtros prætereà Academica ornamenta conferentes, pileum ſcilicet, librum apertum & clauſum, & anulum Academica nota inſignem. Diſputationes ſingulis Dominicis diebus habebantur, lectiones verò intermediis diebus feſtis. Cujus ex provectis ſors prima exiiſſet, primus, cujus ſecunda, ſecundus ordine erat. Exoterico nulli abſque Principis & Gymnaſiarchæ ſcitu intereſſe licebat. Themata tria proponebantur. Arguméta totidem ſingulis objici poterant à provectis, item à tyronibus. Principis nutu vel interlocutione certamen finiebatur. Si quæ ſcripta vel repetitiones proponerentur, ſiquidem ab Academicis approbarentur, in codicem Academicum referebantur. Ex hac Academia tanquam ex equo Trojano clariſſ. Jurecoſſ. Itali, Germani, Galli, Hiſpani prodiere. Inſigne habebant Heliconem montem arboribus conſitum, Caſtalio fonte irrigatum, cum hoc dicto, Non diù ſitient ſitientes.

Patavii.

Noſtro tempore, circa an. Sal. 1556. Patavini nobiles Academiam Conſtantum magno animo & felice ſucceſſu inſtituere, in Philoſophia Naturali atque Morum, in Oratoria & Poeſi, in lingua Hetruſca, Latina atque Græca. Exercitia Diſputationum & Declarationum frequentia: Muſicę item tum vocalis, tum inſtrumentariæ, cui Franciſcus Portinatus præerat. Ea tunc temporis mea fuit obſcitantia, ut ſolum Academiæ nomen retinerem: quæ illius œconomia, quæ politia, quæ didaſcalia eſſet, nec curarem, nec inveſtigarem. Excitentur alii, ut peregrinationis ſuæ fructum percipiant ampliorem.

UT PARTES HABET. Sic occurrunt

Personæ Didascalicæ. Puta In Genere. Studioſi, Studiis dediti.

☞ *Ex loco Doctorum hominum huc quædam.*

Babylonii, & Aſſyrii bonas artes ſtatim à diluvio colere cœperunt, non minùs quàm Ægyptii. Nam propter planiciem regionum quas incolebant, cùm cœlum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, trajectiones motuſque ſtellarum obſervare potuerunt, *Cic.*

Vopiſcus Ægyptios ſcribit eſſe verſificatores, epigrammatarios, & ad cantilenas publicas propenſos. Ægyptiorum porrò arcanam ſapientiam abundè teſtari videtur ſuſcepta illuc excellentium virorum peregrinatio, ut illorum literis verè literatis interioribuſque myſteria pernoſcerent. *Cal. l.16. c.3. A. L.*

Heliopolitani cives, omnium Ægyptiorum doctiſſimi & habebantur vulgò, & erant quoque, ut auctor eſt Herodotus. Fuerunt enim aut ipſi Judæi, qui cum Onia ſacerdote ad Ptolemæum Epiphanem confugerant: aut ipſorum ſucceſſores & diſcipuli, ut ex D. Hieronymo ſcribit *Vinc. l.6. Speculi c.54.*

Davidici regni tempore Jones ex Attica in Aſiam migraſſe traduntur, Androcli ductu, qui fuit Codri filius. Epheſum (ut Pherecydes prodidit) condiderunt: multas deinde alii atque alii civitates: ibique Jonum regio ab initio conſtituta. Quo contigit, ut & terra ipſa ſit poſteà Jonia dicta, cujus extrema ora ob peninſulas multifariàm occurſantes mille & dcc. ambitu ſtadiorum patet. In hoc brevi terræ ambitu philoſophiæ incunabula & ortus extitere. Inde ſublimia hominum ingenia, cœlum & omnia naturæ opera ſcrutati auſa. *Sab. l.9. Enn.1.*

Gymnaſia Turci habent, in quibus leges civiles à Regibus editæ pro regno conſervando docent: in quibus qui proficiunt, honorantur, ad judicandum, ad populum gubernandum eliguntur. Inſigniores Muderis, minores Mineſthum vulgò dicuntur, minùs verò docti Taurſman, quibus ſufficit, ut Alcoranum ſciant, & cæremonias, quæ ad orationem & cultum legis pertinent, benè intelligant: exempti à ſervitute, & liberi ab oneribus communis populi. Judices enim, Regiſtrarii & Jureconſulti, qui Caliphæ dicuntur, aliis ſunt pro neceſſitate proviſi ſtipendiis. Nullam tamen liberalem artem addiſcunt. Ab omnibus honeſtis diſciplinis & ſcientiis ſunt ita alieni, ut nec nomina noſcant, nec myſteria ac ſacramenta cæremoniaſque legis ſuæ aliqua ratione confirmare poſſint, innixi ſolis conſuetudinibus. *Cuſpinianus.*

Sinarum in Oriente populi literis operam dant: qui in illis maximos progreſſus habent, maximis honoribus afficiuntur. In ſtudiis, genere antiquo ſermonis utuntur, imperitis ignoto: quemadmodùm apud nos, qui artium maximarum diſciplinis ſtudent, linguam Græcam aut Latinam perdiſcunt. Qui juri civili ſtudent, in magno honore ſunt. *Oſor. l.11.*

Doctores.

☞ *Et Tit. Philoſophorum huc pleraque. Item ex Tit. Præceptorum publicorum.*

Tertullianus in Carthaginenſi Academia floruit. Cyprianus, qui Philoſophia, & eloquentia tantùm reliquos martyres anteit, *auctore Nazianz.* quantùm bruta à ratione præditis ſuperantur, antequam Chriſtianam religionem profiteretur, Rhetoricam ibi docuit, *teſte Hieron. in c. 3. Ionæ Prophetæ, & Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum.* B. Auguſtinus, ubi bonarum artium fundamenta utcumque iecerat, Carthaginem à patre ſtudiorum cauſa miſſus eſt, ſicut ipſe fatetur *l.2. Confeſſionum cap.3.* Sed cùm petulantiam ſtudioſorum Carthaginenſium tolerare non poſſet (erant enim immodeſti in prælectionibus, & injurii in ſuos præceptores) Romam profectus eſt, ut *c.8. l.5. Confeſſionum* videre licet.

Laert. l.4. ſcribit, quòd cùm multi Athenienſes Rhodi eloquentiæ operam darent, Bion Boryſthenites philoſophiam docere cœperit; & cauſante quodam, cur id ſolus faceret? Frumenta, inquit, attuli, hordeum vendo. Auctoritatem quoque ſibi ex auditorum frequentia paraturus, ſæpè nautis Rhodienſibus perſuaſit, ut ſumpta veſte, ſeſe in gymnaſium ſequerentur. *Middendorp. de Acad.*

Dorotheus & Anatolius præfectus prætorii ſub Conſtãtio (quorum opera Imperator in emendando Codice uſus eſt) Barutenſes, legum Doctores fuere. Anatolii meminit *Eunapius in vita Proæreſii.* Gregorius etiam Ponticus Neocæſarienſis Juriſprudentiam ibi profeſſus eſt. Apollinariis verò ſenior, Grammaticam docuit, & Apollinarem filium hæreſiarcham, Rhetoricæ profeſſorem reliquit. Severus quoque ἀκέφαλος Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, & Triphylius Epiſcopus Leocrenſis. *Middendorpius.*

Hypatia Alexandrina, Theonis geometræ (quem ingenio ſuperabat) filia, uxor Iſidori philoſophi, vix imperante Arcadio, ſcripſit commentarium in Diophanem, aſtronomicum Canonem, in Conica Apollinii. Profeſſa eſt Alexandriæ varia diſciplinarum genera magno & frequenti auditorio, convolantibuſque turmatim & undecumque diſcipulis.

Joannes Mailroſius, Claudius Clemens, Scoti, & Fl. Albinus Anglus, cum Rabano Pariſios profecti, Caroli M. auſpiciis Academiam illic erexerunt: Joannes Ticinum miſſus, illic quoque gymnaſium inſtituit, tandem Auguſtini Benedictinorum cœnobio præficitur. Scripſit plurima. Clemens publicè Lutetiæ ſacras literas, & philoſophiam docuit. Scripſit non pauca Antiſiodorenſis Epiſcopus, poſteà factus eſt Albinus Caroli M. præceptor, cùm priùs in ſchola Cantabrigienſi poſt Bedam docuiſſet.

* Lovanienſem Academiam mirificè illuſtrarunt Ruardus Tapperus, Michael Bajus, Cornelius Janſenius, Joannes Latomus, Joannes Lindanus Theologiæ Profeſſores, ac noſtra ætate Thomas Stapletonius Anglus, & Juſtus Lipſius.

Joannes Eſtius Lovanio Duacum miſſus, illam Academiam conſilio ſuo ſuſtinuit, & qua pollebat eruditione, ac S. Theologiæ conſummata ſcientia, innumerabiles ſtudioſos ad ſe pellexit, & ut collegia omnium facultatum celeberrima erigerentur, ſedulò adlaboravit. Ipſe autem Seminarii Regii moderator, plenus dierum obiit, commentariis ſacris in lucem editis clarus.

Diſcipuli, Auditores Academici.

☞ *Conſule locum diſciplinæ.*

Tantum Tarsensibus ſtudium circa philoſophiam fuit, & alias diſciplinas encyclias, ut Athenas & Alexandriam ſuperarint. Hoc uno plurimùm excellebant, quòd indigenæ ferè tantùm ibi diſcebant (peregrini pauci) neque tamen domi manebant, ſed foris perficiebantur, & perfecti libenter foris manebant. Cæteris verò civitatibus omnibus contrarium evenit, excepta Alexandria. Nam multi in eas proficiſcuntur, & libenter immorantur. Indigenas non multos admodùm videas non extrà diſcendi ſtudio proficiſci: nec ibi circa hoc ſtudere. Alexandrinis utrumque contigit: nam & multos peregrinos ſuſcipiunt, & ex ſuis emittunt non paucos. Alexandria omnium liberalium artium ſcholas habet, & ante alias populoſa eſt, & multùm poteſt, & metropoleos ſermonem retinet. *Strabo l.14.*

Athenienses Scholares per jocum à comicis produci ſolitos, *Hor. l.2. Epiſt.2.* inquit:

Ingenium ſibi quod vacuas deſumpſit Athenas,
Et ſtudiis annos ſeptem dedit inſenuitque
Libris & curis, ſtatua taciturnius exit
Plerumque & riſu populum quatit ——

Romani ſingulis quibuſque annis ſex Patriciorum filios ad Hetruſcos ſacrorum peritos mittebant, qui imbuti diſciplina in patriam redeuntes, diis ritè ſacra exhiberent. *Cic. lib. de Divinat. & Val. Max. l.1. c.1.*

Dionysius Areopagita Heliopoli ſtudiis operam dabat, quando propter mortem Salvatoris noſtri ſol obſcuratus, & tenebræ factæ ſunt ſuper univerſum orbem terrarum; quod ipſe refert *in epiſt.7. ad Polycarp. Middendorp.*

Herodes Judæorum rex filios ſuos Alexandrum & Ariſtobulum Romam miſit, ut liberalibus diſciplinis inſtruerentur. *Ioſeph. l.15. & 16.*

Cn. Pompejus M. ex Aſia reverſus, omnes bonarum artium profeſſores audivit, ſingulis auri talentum obtulit. *Sab. Enn.6.* Pompejus narrare ſolebat, ut refert *Cic. l. 2. Tuſcul. quæſt.* ſe Poſſidonium Stoicum Rhodi graviter ægrotantem inviſiſſe. Tiberius Cæſar Rhodi ſalubritate delectatus, circa ſcholas & auditoria profeſſorum tam aſſiduus fuit, ut à pleriſque propterea reprehenderetur, auctore *Suet.*

Carthagini Severus Imp. literis operam dedit, ſic ut 18. ætatis anno publicè declamaret. Romam ſtudiorum cauſa profectus, in ipſo limine ſcholæ omen imperii accepit.

☞ *Vide Tit. Omina Imperii.*

Mortuo Miſcone II. Polonorum principe, quidam ad Caſimirum filium ejus ſceptra deferenda volebant. Cæteri timentes, ne mores paternos perverſos ſequeretur, repugnabant. Regina videns ſe à Polonis ſpretam, ad fratrem Cæſarem in Saxoniam accepto Caſimiro filio, coronaque regni & ingentibus theſauris regalibus ſublatis profecta, filium Caſimirum ſtudendi gratia Pariſios miſit. Tandem in monaſterium Cluniacenſe ingreſſus, ſacris initiatus eſt. *Gaguin. de Regib. Polon.*

Henricus Friderici Boemorum regis patruelis, ab ineunte pueritia bonis literis deditus, confirmata dein ætate, in Galliam ad Pariſienſe gymnaſium, maximè tunc inter alia celebre, ſe contulit, ibique pluribus annis verſatus in patriam rediens, ſuffragio Regis xiii. Pontifex Pragenſis declaratus eſt & poſt mortem Conradi ad principatum quoque Boemiæ omnium ordinum conſenſu evectus. *Dubr. l.14.*

Valdemarus, Abelis primùm ducis Sleſvicenſis, deinde Daniæ regis filius, quum de Pariſienſi gymnaſio patriam repeteret, Archiepiſcopo Colonienſi neſcio quid in coronam Daniæ referente, detentus eſt pro captivo, nec abire potuit, priùſquam Joannes Holſatiæ Comes avunculus ſex argenti marcarum millia pro redemptione numeraret. *Crantz. l.4. Sax. c.23.*

Circiter annum Chriſti 1473. ſic floruit Leodienſis ſchola, ut tum ibi bonis literis invigilarent novem Regum filii, xxiv. filii Ducum, xix. filii Comitum: exceptis Baronum, Nobilium, & aliorum filiis, quorum immenſus fuit numerus. *Hedio in Chron. Germ.*

Joannes & Gerardus, Holſatiæ Comites, Adolfi, qui Minoritanam religionem ſuſceperat, filii, Pariſiis literis operam dedere. *Crantz. l.8. Sax. c.13.*

Titulis inſigniti.

Ammianus Marcellinus auctor eſt, Medicis ad commendandam artis auctoritatem ſuffeciſſe, ſi dicerent, ſe Alexandriæ eruditos: tanta erat loci dignitas, & æſtimatio. Atteſtatur Galenus, qui medicinæ cauſa & addiſcendæ & exercendæ per annos aliquot ibi hæſit. ☞ *Vide ſuprà §. Academ. mater. conſideratæ.*

Albertus Muſſatus Patavinus lauream poeticam Patavii accepit. Fr. Petrarcha anno Salutis 1342. ipſo Paſchatis die Romæ. Item Æneas Sylvius à Friderico III. Imper. Conr. Celtes à Maximiano I. Imp.

Sigismundus ab Herberſtein, liber Baro, variis legationibus ad Turcarum Imp. ad Moſcovitas, ad Tartaros, cum laude perfunctus, is qui Moſcorum hiſtoriam Latinè ſcripſit tabellis functionum ſuarum ſeriem, ſucceſſum habitum depingi curaverat. Quas cùm ſenex clariſſimus Jo: Baſilio Heraldo demonſtraret, ea quæ omnium prima erat, quando in Viennenſi Academia Baccalaurei titulum ſuſcepit, præ cæteris plurimi fecit: quòd ingenii viribus tanquam caſtrenſe bonum conciliata foret, cùm reliquæ, vel generis ſplendori vel principali gratiæ debitæ, huic veluti baſi inniterentur: adeòque uti Themiſtocles de die feſto & profeſto dicebat: Niſi profectus fuiſſet, feſtus non eſſet; ſic ipſe: Niſi literarum cultu præſtitiſſem aliis, ne dignitate quidem, niſi præter meritum, excelluiſſem. ☞ *Vide Tit. Poeta.*

Personæ Politicæ.

Puta

Rectores, Gymnaſiarchæ.

Albertus Saxoniæ dux, Patavinæ Academiæ rector, unà cum Pagano Turiano Epiſcopo Patavino, poeticam lauream Albertino Muſſato Patavino Patavii contulit. *Ber. Scardeon. in hiſt. Pat.*

Georgius ad Andlau, nobilis genere, eruditione nobilior, Rector Academiæ Baſilienſis, à Pio II. Pap. anno Salutis 1643. inſtitutæ.

* Dux Brabantiæ Joannes Bonus omne jus ſuum contulit Rectori, qui à Senatu Academico eligitur, Univerſitatis Lovanii à ſe erectæ, ac liberam poteſtatem in ſtudioſos permiſit. Magna Rectoris dignitas ibidem, ſed ſemeſtris dumtaxat; & Magnifici titulo decoratur. Ferunt, Carolum V. Imp. maximum, loco Rectori ceſſiſſe, dum hìc eſſet.

* Eſt prætereà Lovanii, uti & Duaci, ac alibi, Cancellarii honos. Is juriſdictionem & forum non habet, ſed emenſo ſtudiorum curſu, auctoritate Pontificia, honores ac titulos confert. Quod munus ſibi vendicat Præpoſitus inſignis Eccleſiæ S. Petri, eoque abſente, Decanus.

Conſiliarii.

* In eadem Lovanienſi, ac Duacenſi Academia, quinque Claſſes ſunt, ſive, ut vocant, facultates: Theologiæ, Juris Canonici, Juris Civilis, Medicinæ, & Artium: quæ Decanos ſuos habent, & definitores, ac Univerſitatis Senatum conſtituunt, & Rectorem eligunt, atque cum eo omnia moderantur. Eſt enim Rector, ut Venetorum Dux, à Senatu pendens.

Judices.

Judex, præter Rectorem, ibidem eſt alius, quem Privilegiorum ac Jurium Conſervatorem vocant, coram quo è tota Brabantia cauſæ, quæ ſtudioſos tangunt, evocantur. Poteſt is excommunicationis fulmen exerere: quod etiam facit Rector.

Tabellarii.

* Vocantur alio nomine paſſim Bedelli, rectiùs fortaſſis Pedelli, quòd ad negotia Univerſitatis obeunda adhibeantur, & Rectorem, imò & illos qui gradibus inſigniuntur, ſceptro argenteo præeant, & frequenter in pedes ſe dare debeant, atque id muneris ambiunt etiam è civibus honeſtiſſimis quique ob emolumenta, & immunitatem, quam important.

Personæ OEconomicæ. V. C.

Hoſpites ſtudioſorum.

Famuli.

Res Academicæ, Videlicet

Privilegia in genere.

Fuit Rhodus, propter bonarum artium ſtudia, à Rom. Imp. multis privilegiis exornata, quorum pars maxima in Templo Liberi patris, & in Gymnaſio poſita fuit. *Srabo lib.* 14.

Pariſienſem ſcholam Carolus M. tanta proventuum, & poſſeſſionum amplitudine locupletavit, quantam vix omnes Galliæ & Germaniæ, quæ inde poſteà natæ ſunt, Academiæ poſſent æquare. *Curio l.2. Chronol.*

Graduum Academicorum tituli honorifici.

Vide Baccalaureus.

Excogitati ſunt in publicis Academiis quidam velut honorum gradus, non malo utique, ſententia mea, conſilio. Nam ut Romæ ſub Cæſaribus non licebat cuivis de jure reſpondere, ſed cui hoc eſſet à principe conceſſum: ita rectoribus ſcholarum viſum eſt arcere à profeſſione artium imperitos. Eos verò, quos ad hoc magno adhibito judicio & ſevero examine dignos cenſuiſſent, ut gradu aliquo honoris inſignirent, Batalarios dixerunt, vocabulo vetere lingua Gallica uſurpato in tyrocinio militiæ, de iis, qui jam prælio interfuiſſent: hinc Licentiatos, quaſi facta copia quandoque velint Magiſtros fieri: poſtremò Magiſtros, & Doctores. Verùm quòd ſcholæ nonnunquam opus eſſet pecunia ad ſumptus inevitabiles, velut alendis miniſtris publicis, gymnaſio conſervando ſarto tecto, impoſita eſt ſumma pecuniæ iis, qui honores inirent: à primo modica, quæque neceſſariis impenderetur uſibus. Expetiit eum dignitatis locum indignus aliquis, & quod eruditione atque ingenio præſtare non poterat, tentavit iis, per quos ageretur, corrumpendis: alius adorſus eſt illos gratia, alius promiſſis, alius præſenti pecunia. Ubi ſemel ſancti priùs atque incorrupti homines lucri dulcedinem guſtaverunt, is ſenſus reliquos omnes ſemel extinxit: certas ſtatuerunt ſummas, quas illi penderent, qui admitterentur ad honores: quarum pars ſcholæ & miniſtris ejus cederet, pars magiſtris & rectoribus ſcholarum: nec providerunt, quantam literis, artibus, diſciplinis, orbi toti, qui ab iis regitur, ac diſponitur, cladem & ruinam adferrent, promiſcuè quibuslibet admittendis. Sed potentior fuit reſpectus exigui commodi, quàm damni publici in univerſam hominum gentem. Igitur quæſtuoſa res cœpit eſſe ſcholarum regimen, & emptum eſt non ſecus ac mercimonium pro mercede, ut revenderet, qui erat mercatus, quæſitum eſt pretio, ambitu, & ne quid deeſſet dedecori ac indignitati; armis quoque. Qui erat adeptus, agebat, propter quod quæſierat: nullus locus, nullus honor, nulla dignitas denegata eſt ei, qui numeraret. Sed ut ſciretur, quanti ordinariè emeretur dignitas, ſtatuta eſt certa ſumma pecuniæ: qua minorem nefas eſt accipere, de majore fas eſt liceri: definitum etiam tempus, & aſſignati, qui examinarent. *L. Vives de cauſis corrupt. artium l.*1.

Certos honores philoſophi veteres juventuti in ſcholis propoſuerunt, quibus ad bonarum artium ſtudia incitarentur. Nazianzenus *in Monodia* auctor eſt, Cæſarienſes Baſilio Magno honoris & profeſſionis inſignia ex more conferre voluiſſe, quamquam ipſe propter ſingularem modeſtiam repudiarit. Sed quando & ubi certus promotionum ordo, & nomina, ſingularumque facultatum leges, & diverſi habitus, introducta ſint, non ſatis inter auctores convenit. Sunt enim, qui Bononiæ aut Pariſiis circa annum Domini 1120. primò cœpiſſe affirmare auſint. Idque hac demùm ratione. Cùm Gratianus Juris Canonici, Petrus Lombardus ſacræ Theologiæ epitomen conſcripſiſſent: qui Gratiani decretum, atque Lombardi ſententias aut didiciſſent, aut prælegiſſent, Doctores appellari cœperunt. Sed ubi eorum numerus in immenſum excreſceret, de certa quadam profitendi ratione cogitatum, & ſingularum facultatum leges introductæ ſunt: ut auctoritate publica à ſcholaſticis conventibus, ſolemni & accurata diſquiſitione priùs facta, (nam Codicillares Doctores, qui Pontificum aut Principis diplomate honorarios titulos conſequuntur, poſt acceſſerunt) certum eruditionis, & virtutis teſtimonium habituri crearentur. Conſtitutum quoque tempus eſt, quod in ſtudiis ante ſolemnem illam gradationem conſumere oporteret. Gradus autem præcipui tres ſunt. Primus eorum qui tyrocinii depoſiti inſignia accipiunt, & Baccalaurei appellantur: etſi ex hoc Theologi duos facere videntur. Alter eorum, qui Mellodidaſcali & Prodoctores ſive Licentiati dicuntur. Tertius Doctorum, & Magiſtrorum eſt, apex omnium ſupremus. Quidam tamen multò altiùs publicarum promotionum originem repetentes, ab Auguſto Cæſare profluxiſſe affirmant. Cùm enim hactenùs promiſcuè de jure reſponderent, & lucri cauſa aliquando parùm conſideratè, Auguſtus Cæſar decrevit, ne quis poſthac eam ſibi facultatem uſurparet, niſi principis auctoritas accederet, interveniente publicorum gymnaſiorum examine. Et Adrianus Imper. viris quibuſdam prætoriis hanc juriſdictionem circa examen (ut nunc Codicillares Doctores faciunt) petentibus, reſpondit, eam rem non peti, ſed præſtari ſolere: Principes non conferre, niſi priùs ſe idoneos eſſe demonſtrarent, & publica auctoritate optimorum Curialium conſenſu promoverentur. Sicut *Juſtin. etiam in l. magiſt. C. de profeſſor. l.*10. reſcripſit. *Vide Zaſium l.2. ff. de orig. jur.* Sunt autem hi Promotionum gradus graviſſimis de cauſis in Viennenſi Concilio approbati, ſub Clemente Papa V. & ſumptuariæ leges præſcriptæ, ne qui propter inopiam rei familiaris, & ſumptuum magnitudinem à re tam utili abſtinerent, ut *Clement.2. de magiſt.* videre eſt. Multa etiam Eccleſiaſtica beneficia & dignitates inſtitutæ, ad quæ non niſi ſolemniter in ſchola promoti admitterentur. *Hæc Jacob. Middendorp. in libello de Academiis.*

* Apud Sinenses quamvis nullæ ſint Academiæ, ut dicemus infra, & ſinguli ad ſcientiam adſpirantes domi ſuæ magiſtrum habeant, tamen quotannis celebriores urbes quidam à Rege deputatus, cum poteſtate Cancellarii Academici apud nos, viſitat, & examen inſtituit illorum, qui ſe ad gradus ſuſcipiendos præſentare volunt. Gradus autem literatorum apud alios ſunt tres. Primus dicitur *Sicucai*, & noſtro Baccalaureatui reſpondet, & non niſi prævio examine triplici confertur; quique illum adepti, etiam habitu diſtinguuntur, multiſque immunitatibus gaudent. Alter *Kiugin*, cum noſtrorum Licentiatorum ordine confertur, & non niſi ſelectis ex toto Baccalaureorum Provinciæ alicujus numero, honorificè tribuitur. Tertius ordo literatorum *Cin* dicitur, & Doctoratum noſtratem repræſentat. Qui hunc conſequuntur, etiam habitu ab aliis diſcrepant, & ſummo honore coluntur. *Nic. Trigontius in hiſt. Sinarum lib.* 1.

* Ornamenta Academica.

Tanto olim in pretio fuit Petri Lombardi, quem ſententiarum magiſtrum vocant, doctrina, ut qui eam profiterentur, Doctoris titulo & baculo ornarentur. *Mat. Dreſſ. in 6. Milen.*

Lovanii Rector Univerſitatis nonniſi per Bedellum, qui ſceptrum argenteum deferat, deducitur. Quales habent numero octo diebus celebribus, vel dum alia eſt ſolemnitas. Inſigne poteſtatis purpuram geſtat, & in humeros extenſam epomidem rejicit, cujus oræ pellibus prætexuntur. Etiam qui gradum vel titulum adipiſcuntur, ſimili ſceptro deducuntur.

Emolumenta Academica.

Loca, Gymnasia In Specie, Auditoria.

In publicis Gymnaſiis olim cùm pueri & adoleſcentes nudi exercerentur, roboris & ſanitatis ergo, à Gymnaſtis & Pedotribis: Philoſophi quoque, tanquam animorum medici, eò commigrare cœperunt. Athenis proinde tria Gymnaſia extra urbem fuere: duo liberorum, Academia & Lyceum: tertium Cynoſarges, ut corporis primùm, ita poſt quoque animorum exercitiis attributa. Nam ut Stoam, hoc eſt, porticum Piſianacteam (quæ poſt propter Polygnoti & Myconis picturas ποικίλη dicta eſt, teſte Suida, & excellenter στοά, in qua Zeno Cittiæus ſectæ Stoicæ dedit initium) taceam: in Academia, ab Academo heroe denominata (quam Hipparchus tyrannus muro circumdedit: unde proverbium: τὸ Ἱππάρχου τείχιον, de magnifico ædificio. *Gyraldus in 3. dial. 1. tom. hiſt. poet. & Cic. in epiſt. ad Sulpitium*, totius orbis nobiliſſimum gymnaſium appellavit) non in Exedris tantùm, ſed & in Xyſtis & Plantanetis Plato docebat. Unde illud:

Atque ſylvas Academi quærere verum.

In Cynoſarge, ab Hercule ſpurio condito, in quo ſoli ſpurii exercebantur, Antiſthenes Cynicus philoſophabatur. Unde fortè nomen Cynicæ ſectæ. *Laert. l.6.* In Liceo (à Piſiſtrato, vel Pericle condito, in quo exercebantur & luſtrabantur in bellum ituri, nomen à Lycio Pandionis F. traxit, unde primùm Apollo Licius dictus eſt, ſecundùm Pauſaniam in Atticis) Ariſtoteles docebat primùm, cùm paucos haberet diſcipulos, περιπατῶν more ſuo, tum in Xyſtis, tum in viis, tum etiam in ipſis Porticibus: poſtquam verò multos cœpit habere, ſedens docebat in Exedris. Hincque adeò Peripatetici nomen obtinuit, quòd non in Exedris ſeſe ingeſſiſſet, more Sophiſtarum, neque à loco auctoritatem eſſet emendicatus, ſed in deambulationibus & viis primùm philoſophari cœpiſſet: confluentibus inde ex ipſis Exedris compluribus diſcipulis, ab iis in Exedram honorificè reductus eſt, itaut qui cum paucis deambulando priùs philoſophabatur, nunc multos ſedens doceret; περίπατον autem intelligit Laertius eam gymnaſii partem quæ deambulationi inſerviebat, cujuſmodi erant viæ, ſed in primis Xyſta, tum nuda, tum arboribus conſita (quas etiam δενδρόμιδας Græci vocant) poſt quæ contulit ſe in Exedras, tempore præſertim nubilo. Cauponi gymnaſii meminit *Philoſtr. in vita Herodis Attici:* Prytanei & Tempe, *Spartian. in Severo:* Lacidii, ubi Lacides philoſophabatur, *Laert. l.* 4. Præcipua igitur fuere tria, unde tres quoque philoſophorum ſectæ, Academicorum, Peripateticorum, Stoicorum. Cynici, quia errones, in Cynoſarge non remanſere.

Corinthiorum Cranium non minùs celebre gymnaſium, quàm Athenienſe Lyceum, indicat Lucianus in dialogis mortuorum, quando introducit Diogenem, qui Menippo per Pollucem renunciare jubet, ut philoſophos in Cranio ridere quidem deſinat, ſed potiùs hortetur eos & moveat, à nugis, crocodilis, & cornutis ſyllogiſmis abſtinere. *Laert. l.6. in vita Diogen.* teſtatur, ante Corinthum fuiſſe Cranium, in quo Cynici philoſopharentur. Dionyſius Syracuſanorum tyrannus exul Corinthi bonas artes profeſſus eſt, ut *Cic. l.3. Tuſcul. quæſt. Val. Max. l.6.*

Philippus Rex cùm filium ſuum Alexandrum Ariſtotelis diſciplinæ commiſiſſet, ſcholam eis deſtinavit, Nymphæum apud Meizam, ubi hodie etiamnum ſedilia Ariſtotelis ſaxea, & ambulationes opacæ demonſtrantur. *Plut. in Alex.*

Egnatius in Spartiani Adriano Scholas Alexandrinas haſce recenſet, Muſæum, Serapium, & Iſeum, ex Muſis, Serapi & Iſide denominatas. In Muſæo Sacerdotes præfecti & bonarũ artium ſtudioſi juvenes, ad neceſſarios uſus Reip. liberaliter alebantur, ut *Strabo & Volaterr.* teſtantur, & Timon Phliaſius Philoſophos ridere ſolebat, quòd tanquam aves pretioſiſſimæ in Muſarum calatho (ſic enim vocabat Muſæum) nutrirentur, ut ſcribit *Ath. l.2. c.16.* Seraphium pulcherrimum gymnaſium, porticus habebat ſtadio majores, ac eorum judiciale, & lucos. *Strabo l.17.*

Anno ſalutis 1253. Robertus Comes Druydum, frater D. Ludovici Regis, Lutetiæ fundavit collegium Sorbonæ. *Chronicum Francorum.*

Joanna Navarræ Regina, Philippi Pulcri Regis uxor, Muſæum, quod Navarræ dicitur, Pariſiis extruxit, locupletavitque, ad ſcholaſticorum tenuitatem ſuſtentandam. *Æm. l.8. L. B. Theatr. vit. Human. Tom. I.*

* In Lovanienſi gymnaſio ſunt quatuor collegia, diſciplinarum inferiorum referta Lectoribus, Lilium ſcilicet, Falco, Caſtrenſe, & Portium: in quibus vetere inſtituto, honeſtis atque ingenuis, nonnullis quos egeſtas preſſerit, in aliquot annos, ad capiendum ingenii cultum, alimenta publicè præbentur, certis fundationibus, Burſas vocant, hoc fine deſtinatis: vocantur autem ea collegia Pædagogia, quòd arctiori diſciplina velut ſub pædagogo & virga coerceantur eorum alumni, cum dumtaxat literæ politiores, & Philoſophia in iis prælegatur.

Præter hæc Collegia, plura numerantur alendæ juventuti & inſtruendæ in Theologia, Juriſprudentia, ac Medicina valdè opportuna, eaque certis nationibus deſtinata plerumque. Habent enim Sabaudii, Angli, Athebatenſes, Athenſes, Antverpienſes, & alii plures, collegia ſua, quò tenuioris fortunæ incolas mittant, & ſuſtentent.

* Neque his cedit Duacum, quamvis nuper in Academiam erectum: abundat enim celeberrimis Collegiis, quæ priora & emolumentis, & ædificio facilè ſuperant, & egregium alumnorum numerum in omni facultate ad Reipublicæ clavum opportunè emittunt.

ACADEMIA FORMALITER Considerata, Respectu ſcilicet PERSONARUM, NIMIRUM Doctorum. De Illorum Officio, Modo Docendi.

Andalusiæ Philoſophorum in Hiſpania Averroes libro Collectaneorum, de Diviſione operis agens, meminit, eorumque curioſitatem in diſtinctione operum Ariſt. per capita atque textus.

Privilegiis.

Profeſſores Berythenses, ut rectiùs juventutem erudire poſſent, à tutela & cura excuſabantur. *Gloſſ. §. fin. l. ſed & reprobari ff. de excuſat. tut.*

* In Academia Lovanienſi, qui Philoſophiam profitentur in aliquo è quatuor Pædagogiis, cæteris omnibus ſive Doctoribus ſive Profeſſoribus præferuntur, ex Apoſtolico indulto, in denominationibus ad beneficia; ut ita plures ad eam functionem, quæ laboris & moleſtiarum plena eſt, excitentur. Et hinc celebrioribus Belgicæ Collegiis, per hos Profeſſores non parum ornamenti accedit, dum ad vacatura beneficia denominati, eadem conſequuntur, & in Eccleſiis reſident. Quamvis nonnunquam cupiditate, vel alia occaſione, quidam abſentiam fructuum cum Capitulis, ubi beneficia obtinent, ſtipulent, & Lovanii remanentes, beneficium beneficio accumulent.

Discipulorum, Auditorum: De Illorum Officio, Modo Diſcendi, Diſputandi.

☞ *Vide quædam ſub Tit. Auditio & diſciplina.*

Privilegiis.

Diocletianus, & Maximinus magnis privilegiis ſcholam Berythenſem auxere, ut *l.1. C. qui ætate vel profeſſione ſe excuſant*, videre eſt, ubi tale reſcriptum extat ad ſtudioſos Berythenſes: Cùm vos confirmetis liberalibus ſtudiis operam, maximè circa Juris profeſſionem, conſiſtendo in civitate Berythorum, provinciæ Phœnicis: Providentes utilitatis publicæ, & ſpei veſtræ, decernimus, ut ſinguli uſque ad XXV. annum ætatis ſuæ non avocentur.

* Patavii id privilegii conceſſum olim fuit, ut nullus opificum qui cum ſtrepitu artem exercent, propè Collegia aut Scholas habitare poſſit, ne lectionibus aut exercitiis impedimentum præbeant. Imò ſi quis ſtudioſus habitationis ſecutus importunitatem, eò viciniæ commigraret, ubi ſimilis opifex moraretur, cogeretur ille loco cedere, aut à ſtrepitu horis certis ſtudii abſtinere.

* Lovanii à Sede Apoſtolica indultum, ut qui ibidem ſuperiorum facultatum ſtudia proſequuntur, aut profeſſorum munus obeunt, denominari poſſent ad Eccleſiaſtica beneficia in quacunque per Belgium Eccleſia obtinenda, quæ certam emolumentorum taxam non excedunt. Atque in hoc præferuntur cæteris, ut ſuprà inſinuavimus, qui Philoſophiam prelegunt, aut ſtatuto temporis ſpatio ibi manſerunt. Exſtant eadem privilegia typis expreſſa.

Certaminibus.

Sub Chriſtophoro Caſtellione, Baldi antagoniſta, Papiæ factiones ſtudioſorum Juris, pro Doctorum ſuorum celebritate contendentium, cœpiſſe, Portius teſtatur. *Inſtit. de ſuſpect. tut. §. ſuſpectus.*

RERUM IN GENERE. HUC Academiarum, Scholarum, Gymnaſiorum INSTITUTIO. NEMPE

Qui inſtituere.

NINUS Aſſyriorum Rex, Semiramidis filius, templa deorum ornavit, & eruditorum hominum ſcholas liberaliter auxit, atque nova quædam gymnaſia introduxit, ut auctor eſt *Beroſus Middendorp.*

PSAMMETICHUS Ægyptiorum Rex, pueros Ægyptios curavit lingua Græca imbuendos. A quibus linguam Græcam edoctis oriundi fuerunt, qui poſteà in Ægypto fuere interpretes. *Herod. l.2.*

M. ANTONIUS Romanorum Imp. poſtquam Athenas venit, initiatuſque fuit, cùm alios honores tribuit Athenienſibus, tum in urbe eorum Doctores omnis doctrinæ annua mercede conductos conſtituit, ad omnium gentium utilitatem. *Xiphilin. in Antonio.*

In Gallia, rhetore publico apud Clivienſes extincto, Conſtantius Cæſar, civitatis ejus ornandæ & juventutis excolendæ gratia, Eumenium rhetorem, qui ſibi magiſter memoriæ fuerat, illi præeſſe auditorio juſſit, ac ſalarium ſexcentorum millium numum ei attribuit. Is onere ſuſcepto, ut gratiam à Clivienſibus ſuis iniret, præſidem Galliæ adiit, atque oratione habita poſtulavit, ut ſcholas Menianas, quæ erant inter Minervæ & Apollinis templa conſtructæ, reficeret, atque ad id opus pecuniam ſibi à principibus in epiſtola conſtitutam adhiberet. *Sigon. l.1. occid. Imp.*

CAROLUS Magnus Imp. Pariſienſem ſcholam inſtituiſſe dicitur, an. 791. hac occaſione. Ex Scotia in Galliam delati ſunt Claudius, Joannes, Rabanus & Alcuinus, ſive Albuinus, omnes olim Bedæ diſcipuli: qui ſe nihil aliud præter bonas artes & ſapientiam è patria exportaſſe profitebantur, eamque venalem ſe habere. Res ad Carolum defertur. Juſſu ejus vocantur: eidemque profitentur liberè, gratis etiam ſe edocturos, ſi modò eis locus & alimenta præſtentur. Accepit Rex conditionem, eoſque apud ſe retinuit. Hinc Pariſienſe gymnaſium initium ſumpſit. Tum verò non multò poſt Joannes Mailroſius cognomine, Ticinum in Monaſterium D. Auguſtini ad erudiendos monachos miſſus: Claudius (cui nomen Clemens) Britannus genere, Pariſiis manere juſſus, Alcuini (qui poſteà Caroli M. amicus & magiſter fuit) collega fuit. Rabanus Maurus Fuldenſis, ſextus Moguntinorum Pontifex creatus eſt. Carolus itaque Pariſienſem ſcholam primus inſtituit, & in ea Ariſtotelem docere voluit: item Ticini in Italia, & Oſnabrugi ac Reginoburgi in Germania. *Polyd. l.4. & Aventin. l.3. & Crantz. in Metrop. l.1. c.2. Hen. Erford. c.69. Vincent. l.23. c.173. & Gyrald. dial.5. hiſt. poet.* Academiam ab Athenis Romam, inde per Carolum M. Pariſios tranſlatam, ſcribit *Vvernerus in Faſciculo*, anno 791. juxta Palmerium. Et ſic tribus aut quatuor ſæculis extinctum literariæ ſapientiæ lumen, in mundo rurſus accenſum eſt.

ETELVOLFUS Anglorum Rex an. 847. fertur inſtauraſſe Romę ſcholam quandam primò ab Oſſa Merciorum Rege conditam, & paulò ante ejus adventum in Urbem, incendio ferè conſumptam. Ipſam autem ſcholam, ubi Romæ Angli dumtaxat manebant, boniſque artibus operam dabant eo loci fuiſſe putant, quo poſteà hoſpitalis domus divo Thomæ dedicata poſita eſt, ad quam Angli homines receptum habent. *Polid. l.5.*

FRIDERICUS II. Imp. inſtituit Academiam Neapolitanam cum multis privilegiis, eòque adſcivit omnium diſciplinarum Doctores. *Collenut. l.4.*

Bartholomæus de Saliceto, Bononienſis, J. C. auctor fuit Alberto Eſtenſi Ferrariæ Marchioni, ut à Bonifacio Pont. privilegium Academiæ Ferrariæ conſtituendæ impetraret. Moritur Bononiæ ſenex ad S. Dominicum ſepultus.

ALPHONSUS IX. Hiſpaniæ Rex, ſapientes è Galliis & Italia convocavit, ut ſapientiæ diſciplina à regno ſuo numquam abeſſet, & magiſtros omnium facultatum Palentiæ congregavit, quibus & magna ſtipendia eſt largitus, ut omni ſtudere cupienti, quaſi magna aliquando in os influeret ſapientia cujuſlibet facultatis. *Roderic. Tolet. l.7. rer. Hiſp. cap. 34.*

* ENGILBERTUS Naſſovius, literarum & literatorum hominum fautor eximius, ex illuſtri Naſſoviorum Gente, Joanni Brabantiæ Duci auctor exſtitit ad inſtituendam Lovanii Academiam. *I. Lipſius in Lovanio, c.1. l.3.*

Quomodo.

☞ *Quæ in condendis ſcholis ſint obſervanda.* Lud. Vives l. 2. de Trad. diſciplinis *accuratè docet.*

Cur.

QU. SERTORIUS in Oſea urbe liberalium artium Gymnaſium aperuit, & ibi DC. procerum filios ſuis ſumptibus aluit: tum ut Hiſpanorum animi literatura mollirentur, tum ut hiſce veluti obſidibus parentes in officio & fide contineret. *Plut.*

* Cùm Lovanium variis patriæ ſeditionibus afflictum eſſet, mercimoniis, quæ ante ibidem vigebant, in Angliam, & aliò diſtractis, jamque habitatoribus eſſet evacuatum, cura & miſeratio Joannem principem habuit urbis Brabantiæ primariæ reſtituendæ. Ergo ubi de Academia inſtituenda animo inſedit, Lovanium eo beneficio affecit, quòd ingenio loci hominumque non alia urbs aptior otio literarum videretur. *Lipſius ſuprà.*

* Duacenſis oppidi incolę, jam olim accerrimi Religionis propugnatores, etiam Principibus ſuis fideles exſtiterunt, & adversùs Francorum irruptiones urbem ſuam difficillimis temporibus è publico ærario tutati ſunt; ob quam quidem, tum fidem, tum conſtantiam, tanta in hanc urbem liberalitas Catholici Regis Philippi II. fuit, ut quidquid eidem ex ærario dotis nomine debebatur, in ejuſdem urbis, & Univerſitatis, quam ibidem inſtituit, ornamentum permiſerit.

DISSIPATIO.

EDESSENA ſchola Perſica aliàs, à Zenone Imper. funditùs everſa, propter Neſtorii hæreſim, quam docebat. *Theod. Lect. l.2.*

SACRA ſchola erat Conſtantinopoli propè Palatium, in qua vetere inſtituto magiſter unus doctrinæ magnitudine clarus cum diſcipulis duodecim ingenio ſtudioque præſtantibus verſabatur. Hi poſtquam omne dicendi artificium attigiſſent, magna cura Eccleſiaſticam rerum divinarum ſcientiam pertractabant: neque ſine eorum conſilio publicè agi quidquam ne Imperatori quidem permittebatur. Hos Leo III. Imper. cùm ad ſe vocatos ſæpè in ſuam adducere ſententiam, ſed fruſtrà, tentaſſet, in Adjutorio incluſos ipſos cum libris, qui magni pretii erant, & ſacra cum omni comburi ſupellectile juſſit. *Sigonius l.2. regni Ital.*

Bononienſia & Veronenſia privilegia Fridericus II. Imp. ob rebellionem in Patavinam ſcholam tranſtulit. *Cuſp. & Platina, & Sabell.*

Academia Bononienſis ab Jareſlao Polono tranſmutata ob cædem ſtudioſi. ☞ *Vide Tit. Mortis illatæ ultio.*

PRAGENSEM Academiam Germani à Boemis Huſſitis vexati deſeruere, & Lipſiam migravere una die ſupra bis mille. *Æneas Syl. c.35. hiſt. Boœm.*

ROSTOCHIENSIS Academia à principibus Magnopolenſibus inſtituta, in ipſis ſuis incunabulis graviſſ. paſſa eſt calamitatem. Nam cùm ſeditione orta proconſules cum Senatoribus ex urbe ejicerentur, civitati ſacris interdictum fuit à Concilio Conſtantienſi & Baſilienſi. Ea cenſura moti Academici omnes Gripſualdiam exceſſere. Cæterùm dum reditum miſerè expetunt, iis conditionibus redire permiſſi, uti annuis ſalariis ſuis, quæ à Senatu conferebantur, proventibus item Eccleſiarum, quos principes contulerant, in CC. annos renunciarent: iis exactis, tum demùm cenſus priſtinos reciperent. *Crantz. l.11. Metrop. c.22. & l.11. Vandaliæ c.32.*

RESTITUTIO.

Cùm ex terræ motu Colloſſus, mœnia, & gymnaſium Rhodiorum cum bibliotheca corruiſſent, eo tempore, quo Antiochus Rex adversùs Ptolemæum Regem Ægypti bella gerebat, ipſi tantùm gratia ſua apud Reges valuere, ut maxima ab ipſis munera conſequerentur, auri & argenti multa talentorum millia, pretioſiſſimos lapides, & optima ligna, quibus & urbem, & gymnaſium multò ſplendidiùs inſtaurarunt. *Polybius lib.5.*

Sub D. Ludovico Francorum Rege Lutetiæ florebant liberalia ſtudia: juventutis concurſus undique illuc fiebat. Scholaſtici ſuorum nonnullos à civibus pulſatos conqueſti, alii in alia cæterarum urbium Muſæa conceſſere. Anglus rex Henricus III. propoſita ingentium præmiorum, honorum vacationum, emolumentorum ſpe, aliquot eorum millia Oxonium elicuit. Solitudo, exiliumque litteris indictum Lutetiæ videbatur. Rex non minùs decoris liberales artes, humaniora ſtudia, ſacram diſciplinam, cultum ingeniorum Francis, quàm arma afferre prædicans, egregiamque conſociationem fore bellicarum rerum gloria cum divinarum humanarumque rerum cognitione doctrinaque conjuncta: Regiæ urbis cives ad officium colendoſque Doctores diſcipuloſque revocavit. Suus ingenuis artibus honor habitus. *Æmil. lib.7.*

Ticinenſem ſcholam, Pariſienſis ſororem, Galeacius II. Vicecomes, Caroli IV. Imp. auctoritate, reſtituit, teſte *Jovio in vita Galeacii*; & Jo. Galeacius F. auxit. ☞ *Vide Tit. Docti in pretio habiti.*

Uladislaus Boemiæ & Hungariæ Rex, conatus eſt gymnaſium Pragenſe in antiquam dignationem reſtituere, conductis ex Italia claris doctrina, & eloquentia profeſſoribus, nullo non propoſitum regium mirificè laudante, extra ſenem quendam Corandam, cum paucis magiſtellis gymnaſium occupantibus, qui metuentes, ne bolus eis è faucibus eriperetur, clamare apud ſuos cœperunt: Actum eſt de religione veſtra, Pragenſes, ni vigilaveritis; conatumque per hæc regis irritum fecerunt. *Dubravius lib.3.*

GREGORIUS XIII. Pontifex Romanam Academiam multùm collapſam reſtituit, ſtipendiis auxit, profeſſores honoribus cumulavit, tantoque amore litterarum ſtudia proſequebatur, ut diceret aliquando, nullum debere ſcire plura, quàm Romanum Pontificem. *L. Beyerlinck in ſupplem. ad Chronicum Opmeri.*

RERUM IN SPECIE. SIC CONSIDERANTUR ACTUS Academici. THEORICI, UT SUNT Lectiones publicæ.

FRIDERICI II. Imp. Germani ſtudio atque cura factum eſt, ut Ariſtotelis opera, quæ apud Saracenos latebant, in orbem Latinum poſtliminio reverſa ſint, & priùs ex Arabica lingua ſummum philoſophum balbutientem Occidentales homines audierint, quàm ſua lingua fluentem viderint: libros certè ejus ab eodem Bononienſi Academiæ miſſos, & ad philoſophandum ſeriò oblatos fuiſſe, *Pandulfus Collenutius* teſtatur.

Diſputationes.

Jo. Picus, Mirandulæ Princeps, Phœnix ille litteratorum, avorum noſtrorum memoria, etſi diſputator ſubtilis, & vehemens eſſet (id quod noningenta illius problemata Romæ ad diſputandum propoſita, & anno antè per univerſum orbem Chriſtianum miſſa, ſatis indicant, cùm ſe peregrinis ejus gratia eò venturis ſumptus refuſurum principali magnificentia polliceretur) ad extremum tamen Theatrales haſce diſputationes ad oſtentationem tantùm factas damnavit, quòd non tam ingenia acumine exercerent theorico, quàm fumoſa replerent pertinacia, cùm gladiatorio tantùm animo, ad vincendum potiùs, quàm ad docendum diſcendumve plerique accederent. *Jo. Franciſcus in ejus vita.*

* Theologi Pariſienſes, qui primum in Scholaſtica Theologia ſibi locum vendicant, duo habent collegia præcipua, Sorbonam, & Navarram, eòque confluere ſolent ex omnibus propè partibus doctrinæ percipiendæ cauſa. Miræ hic diſputationes, & certamina de rebus ſubtiliſſimis, magno audientium fructu, & applauſu. *Æmilius.*

* MUNIFICENTIA. *In Academias, & Academicos.* Puta PROFESSORES.

Primus Quintilianus publicam Scholam Romæ, & ſalarium è fiſco accepit; idque ævo Domitiani Cæſaris. *Euſeb. in Chron.* non enim à diſcipulis mercedem, (quam Placcas Lovanii vocant, & in Collegiis Philoſophorum, & quolibet trimeſtri perſolvuntur) accipiebat, ſed ex publico.

Sanè Veſpaſianus, ut de illo *Suetonius c.18.* è fiſco primus Latinis Græciſque Rhetoribus annua centena, hoc eſt, bis mille quingentos Philippicos conſtituit.

JULIUS Cæſar tamen diu ante omnes medicinam Romæ profeſſos civitate donavit, uti & omnes liberalium artium Doctores. *Sueton. cap. 53.*

ANTONINUS Pius Rhetoribus, & Philoſophis per omnes Provincias & honores, & ſalaria decrevit. *Capitolinus.*

Quæ ſalaria Provincialia fuiſſe ſexagena ſeſtertia, nobis mille quingenti Philippici, obſervavit è Tatiano *Cauſab.*

LUCIANUS in Eunucho commemorat, obiiſſe quemdã è Peripateticis Doctoribus, in cujus locum Eunuchus ſubrogari contendebat. Nec immeritò, inquit: Nam ſtipendium grande ab Imperatore conſtitutum erat, ſingulis Pilosophorum generibus, decem millia drachmarum in annos ſingulos.

De Eumenio legitur, quòd à Diocletiano & Maximiano acceperit ſalarium quindecim millium Philippicorum. *Eumen. orat. pro Scholis.*

ADRIANUS Imperator adeò munificus, & liberalis erga Profeſſores fuiſſe dicitur, ut etiam illos, qui ætate aut morbo inhabiles profeſſioni ſuæ videbantur, ditatos honoratoſque manumitteret.

ATHALARICUS Gothorum Rex, ſtipendia Doctorum, rebus Romanorum labentibus detracta aut inuſitata, reſumi voluit, & ſine diminutione exſolvi, atque id ſemeſtri quolibet. *Caſſiod. lib.9. c.21.*

ESICHIUS Calvinus eques Rom. L. Apuleum conduxit ad docendum, quadringentorum annuorum ſalario, hoc eſt mille Philippicis noſtratibus. *Suetonius & ex illo Lipſius lib.3. cap.8. de Lovanio.*

ALEXANDER Severus Doctoribus auditoria, & ſalaria decrevit, ut eſt auctor *Lampridius.*

CAROLUS Magnus, & poſt eum alii Reges, inſigni liberalitate ampliſſima honoraria conſtituerunt Profeſſoribus almæ Univerſitatis Pariſienſis.

Etiam Academiæ à ſe erectæ Lovanii certa emolumenta contulit Joannes Dux Brabantiæ, atque apud Apoſtolicam ſedem, beneficia Profeſſoribus in æde ibidem primaria impetravit. Stipendia magna alacritate in liberalitate univerſim auxit ann. MDCXII. ſereniſſimus Belgicæ Princeps Albertus Auſtriacus, quò exactiùs diligentiùſque muneri ſuo incumberent Profeſſores.

Duaci Philippus II. Rex Catholicus, indulſerat in prima Academiæ erectione, quidquid ex ærario ei annuatim dabatur; palatium quod ibidem habebat, & arcem, in uſum Scholæ publicæ contulit, & Profeſſoribus ſtipendia convenientia conſignavit.

Idem Philippus in Eſcuriali ſuo, celebrem Academiam inſtituit, in qua ſuperiores diſciplinæ prælęguntur.

* ERGA STUDIOSOS.

ALEXANDER Severus non modò Doctoribus ſalaria conſtituit, ſed & diſcipulis, dummodò ingenui eſſent, annonam dari juſſit. *Lampridius.*

HIERONYMUS Buslidius Præpoſitus Arienſis, Carolo V. Imp. gratioſus, opes ſuas moriens reliquit Collegio, quod trilingue vocant Lovanii: in quo Hebraica, Græca, & Latina lingua prælegitur; modò etiam prælectionibus doctiſſimis clariſſ. V. Erycii Puteani, qui magno Lipſio ſucceſſit, illuſtratur.

LUDOVICUS Rychius vir Patricius, & Regis quæſtor, anno MCCCCXLII. fundamenta jecit Collegii majoris, quod pro Theologiæ ſtudioſis inſtituit; quod ab illis auctum.

ADRIANUS VI. Pontifex, antequam Cardinalatus honore præfulgeret, & Decanus tantummodò eſſet ad D. Petri Lovanii, Collegium ibidem Theologię ſtudiis dicavit, quod modò titulum Collegii Pontificii defert.

Aliud exſtruxit Robertus à Luca an. MCCCCLXXXIII. pro Juriſprudentiæ alumnis.

Sed ſuperat reliqua, quæ numero plura ſunt, illud quod Euſtachius Chapuys Anneciacenſis excitavit pro Sabaudis, ædificiis conſpicuum, & reditibus amplum. Item aliud, quod Petrus *Van Daele* Canonicus Antverpienſis inſtituit, ut ad quod ob ſplendorem Princeps divertit, & ſui ſoli adoleſcentibus deputavit.

Inſuper Seminarium eſt, Regis Philippi munificentia erectum, quale etiam admodùm illuſtre eſt Duaci. In quibus aluntur juvenes, qui ad curam animarum, emenſo ſacrorum ſtudiorum termino, in Regiis ditionibus exercendam aptan-

A aptantur per quotidiana exercitia, & media publica in hunc finem directa.

Duaci iterùm magna liberalitas duorum Abbatum, qui extra muros cœnobia celeberrima habent, effulſit; nempè Joannis Lentailleri, Aquicinctenſis, & Arnoldi Gantois, Marchenſis. Quorum ille collegium excitavit, in quo quingenti convictores ſeparatim habitare poſſint. Hic etiam ſplendidiſſimum inſtruxit, atque ex his juventus in Philoſophicis erudita, ad ſuperiores facultates tranſmittitur.

In Anglia verò quæ Collegia olim inſtruendæ juventuti inſtituta fuerint, docet unicum Oxonienſe, quod ſive proventus, ſive ſtructuram ſpectes, ſuperat vel decem è noſtris. ☞ *Vide paulo antè.*

Ceterùm inſignem erga Litterarum ſtudia munificentiam teſtatus eſt Gregorius VIII. Pontifex, qui Catholicæ Religionis propagationem, non armis dumtaxat, ſed domeſticis diſciplinis inſtaurari non ignorans, varia per urbem, & orbem Seminaria inſtituit; in quibus lectiſſima è quavis penè natione juventus, certa lege, numero, diſciplina aleretur. Et quidem in Urbe ipſa, Societatis Jeſu clericis, ad uſum
B Romanæ juventutis, unum excitavit: alterum Germaniæ populo: tertium Neophytis Hebræis: bina Anglis, patria ob religionem profligatis: alia inſuper Græcis Maronitis, Illyricis.

His adde Viennenſe in Auſtria: Pragenſe in Bohemia: Græcienſe in Syria: Olomucenſe in Moravia: Branſpergenſe in Pruſſia: Muſſopontanum in Lotharingia: Ulnenſe in Lituania: Claudiopolitanum in Tranſylvania: Funenſe in Japonia: Ariminenſe denique, & Anzuchixamenſe, ac Fuldenſe in Germania. *L. Beyerlinck in ſupplem. Chronici Opmeriani.*

* Honores Decreti.

Dictum eſt ſuprà, Julium Cæſarem civitate donaſſe Profeſſores Medicinæ in urbe Romana. Ex *Suetonio.*

Albertus Princeps Belgarum, cultorque litteratorum hominum, qui & ipſe inter illos accenſendus, cum & linguæ Latinæ fuerit peritiſſimus, & amantiſſimus; Juſtum Lipſium honore tituloque Conſiliarii, ut omittam lautiſſimum ſtipendium, auxit. Quin & ipſius conſilium in politica adminiſtratione rerum ſtatus adhibuit aliquando.

C Præſtant id alibi alii Principes, neque magis dignè titulos ſuos conferunt, quàm in hos dignos.

* ACADEMIÆ NULLÆ.

Apud Sinenses.

Apud Sinenſes, ut tradit Nicolaus Trigautius Belga, viget Philoſophia moralis, quam traditione à quodam Confutio, quem volunt vixiſſe ante annos ſupra bis mille, adeòq; pene DC. ante Chriſti adventú, acceperút: acceſſerunt, Aſtrologia, Geometria, & Medicina. Superat autem reliquas ipſa Philoſophia moralis, quæ apud illos in pretio, & libris quatuor continetur, quos *Tetrabiblion* appellant. Ex his autem & doctrinæ, & gubernationis præcepta hauriunt, imò peritiores univerſos memoriæ mandant, ſic ut recitare textus omnes opportunè valeant, & ex illis ſingularum actionum rationem depromant.

Sed quamvis plures illis incumbant diſciplinis, nullas tamen Scholas aut Academias, ubi publicè prælegantur, habent, quod perperam plerique aſſeruerunt; ſed quiſque præceptorem, ſive magiſtrum deligit pro arbitratu, à quo domi ſumptu ſuo inſtituatur. Unde ingens illorum eſt numerus,
D neque enim plures ab uno inſtitui aptè poſſunt, vitio characterum Sinenſium. Quanquam autem Academiam non habeant, in qua publicè doceatur; ſunt tamen in ſingulis urbibus loca, quæ ludos ſua lingua appellant, in quibus fit examen illorum, qui ſtuduerunt, & gradibus ſuis inſigniuntur, qui benè profeciſſe per examen deprehenduntur. In quem finem inſignis aliquis à Rege deputatus, præ aliis litteratus, quem *Tibio* appellant, urbes ſuæ Provinciæ peragrat, gradum poſt triplex examen collaturus. ☞ *Vide ſuprà Gradus Academici.*

Apud Turcas.

An apud Turcas etiam in media Barbarie Academiis locus detur, meritò ambigitur. Pars negativa omninò probabilis videtur, cùm præter Joannem Bohemum nemo affirmativam aſſerat, aut locum, ubi Academiæ inſtitutę ſint, deſignet. Hoc tamen tradit *Lovicerus* teſtis oculatus *l.2. hiſt. Turcicæ cap.*10. Scholas particulares pro pueris, & puellis apud eos inſtitui, ſic tamen, ut eas non ſubeant, niſi quoaduſque linguam vernaculam ſcitè legere, & ſcribere noverint. Quod ubi didicerunt, ad aliud vitæ genus, in quo ætatem exigat quilibet ſe confert. Scholas *Ochummachirlei*, & pedagogos E *Hogſialar* vocant. Si tamen aliqui mechanicam non adſpirant, ſed inter eruditos cenſeri ament, illi in Aſtrologiam ſtudia ſua convertunt, & in rhythmis undecim ſyllabarum contexendis occupantur, nec aliam præter hanc muſicam habent. Hæc Lovicerus ſuprà.

Accentus.

☞ *Petantur ex loco de Scriptione pleraque curioſa, Tit. de Notis, §. Notæ Grammaticæ.*

---

* Acceptio perſonarum.

* Definitio & Etymologia.

Acceptio perſonarum (Græcè προσωποληψία, quod nomen non minùs rectè verti potuiſſet, Acceptio vultus F vel faciei, ut ex Hebræo כשא פבים colligitur) generatim juxta modum loquendi Scripturæ dicitur, quando in aliqua diſtributione non reſpicitur cauſa, ſed perſona, id eſt aliqua perſonæ conditio nihil ad prædictam diſtributionem pertinens, ob quam is, qui minùs dignus eſt, præfertur digniori: ut ſi quis Prælatus beneficia, officia, vel ordines ſacros, omiſſis dignioribus, conferat indignis vel minùs dignis, quia amici, conſanguinei, divites: ſi judex ſententiam ferat pro amico, non pro eo, qui jus habet.

Itaque duo propriè ad hoc vitium requiruntur. Primò, ut bona quæ diſtribuuntur, ſint aliquo modo communia, ſaltem deſtinatione ejus, qui illa diſtribuit: ut ſi quis ludos inſtitueret propoſitis præmiis, & ea diſtribueret poſteà non victoribus, ſed amicis ſuis, diceretur acceptor perſonarum. Secundò, ut in diſtribuendo ſpectetur aliqua conditio perſonæ, nihil ad diſtributionem faciens, ob quam indignior præfertur digniori. Ita *Leon. Leſſius lib.2. c.32. dub.1. in lib. de Iure & Iuſtitia.*

G

IN QUORUM BONORUM DISTRIBUTIONE FIAT.

Primò acceptio perſonarum locum habet in diſtributione Juris, quam facit Judex, dum partibus jus dicit, ut docet *D. Thomas quæſt.63. art.4.* etſi enim jus dicere ſit actus Juſtitiæ commutativæ, quatenùs ex officio eſt debitum; tamen quatenùs fit inter duos, habet modum juſtitiæ diſtributivæ. Jus enim ſuo modo eſt, quoddam bonum commune diſtribuendum partibus.

Secundò, locum habet in collatione beneficiorum, & in electione, & præſentatione ad illa; beneficia enim jure naturali, & poſitivo debent conferri dignioribus, id eſt, qui optimè putantur officio functuri. Unde ſi conſanguinitas, amicitia, vel ſimile quippiam nihil ad officium pertinens, in electione, præſentatione vel collatione ſpectetur, omiſſis dignioribus, committitur vitium acceptionis perſonarum. *Vide D. Thomam art.2.*

Tertiò, in conferendis officiis ſæcularibus, ut in officio Conſulis, Prætoris, Senatoris, Conſiliarii, Quæſtoris, & ſimilibus: hæc enim ſunt bona quædam communia Reip. inſtituta ad ipſius commodum, quorum diſtributio pertinet H ad Principem. Unde tenetur jure naturæ ea maximè idoneis & Reip. utilibus conferre.

Quartò, locum habet in oneribus diſtribuendis: hæc enim juſta proportione diſtribui debent, ne pauperes magis graventur, quàm divites.

Quintò, in exhibendo honore, ſeu reverentia: ut ſi quis in publico conſeſſu aut in menſa alicui non aſſignet locum, qui ei ratione eruditionis vel gradus debetur, debet tamen id fieri dolo aut data culpa: alioquin non cenſetur injuria. Titulus namque, ob quem alicui debetur honor, eſt excellentia naturæ rationi congrua, quæ conſiſtit in ſapientia, virtute, & potentia: nullæ enim aliæ perfectiones reddunt naturam rationalem excellentem & honore dignam.

Nulla In Deo, Eique Exosa.

Conſtat ex jam dictis, apud Deum non eſſe acceptionem perſonarum, etſi dona ſua neque omnibus, neque æqualiter inter homines diſtribuat.

Primò,

A Primò, quia acceptio perſonarum locum non habet, dum quis bona ſua propria, ad quæ illi, quibus fit diſtributio, nullum jus habent, diſtribuit.

Secundò, Deus in hac diſtributione non præfert indignum digno ob aliquam conditionem in homine exiſtentem, quæ nihil ad diſtributionem faciat. Etſi enim interdum minùs dignos majoribus auxiliis præveniat, id facit ob juſtiſſimas cauſas, nempè ut oſtendat ſe gratis dare, & nemini ſe eſſe debitorem horum donorum.

Tertiò, quia omnibus auxilia prima ſalutis impertit, prout fert conditio cujuſque, & quemque juvat ad ulteriora, ſaltem quatenùs ſe ille per priora auxilia diſponit, & idoneum reddit.

Moyses quò efficaciùs populum adverſus hoc vitium præmuniret, Dei exemplum adhibet, dicens: Deus Dominus veſter, Deus deorum, & Dominus dominantium; Deus magnus, potens & terribilis, qui perſonam non accipit, nec munera. *Deut. cap.*10.

Bonus Rex Joſaphat informans ſuper hac re Magiſtratus, & Judices ſuos: Non eſt, inquit, apud Deum iniquitas,
B nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum. Cauſam autem huic rei reddit Sapiens *cap.6.* Quoniam puſillum & magnum ipſe fecit: & eſt ei æqualiter cura de omnibus.

Isajas prædicens Meſſiæ adventum, id ſignanter in eo notat, quòd non ſecundùm viſionem occulorum judicabit, neque ſecundùm auditum aurium arguet, ſed judicabit in juſtitia pauperes, &c.

Quod reipſa docuit. Primò, quando in mundum veniens, dedit poteſtatem filios Dei fieri, omnibus credentibus in nomine ipſius. *Ioan.*1.

Secundò, quando non multos nobiles, non multos potentes, ſed infirma mundi, pauperes piſcatores, idiotas, contemptui habitos elegit, ut confunderet potentiam, ſapientiam & firmitatem ſæculi. 1. *Cor.* 1.

Quando Phariſæis æquè ac aliis dixit, Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ! Auferetur à vobis regnum Dei, &c. *Matth.*23.

Quin dicentibus ipſis, Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, non enim reſpicis perſonam hominum; ſciens eorum malitiam, dixit: Quid me tentatis
C hypocritæ? *Matth. cap.*22.

S. Petrus, poſtquam vocationem Gentium ad fidem, per linteum illud expanſum in cœlo, in quo omnis generis animalia erant, cognoviſſet, admirans clamavit: In veritate comperi, quòd non eſt acceptor perſonarum Deus: ſed in omni gente, qui facit juſtitiam, acceptus eſt illi. Ita *Ambroſius,* Nulla apud Deum perſonarum diſcretio eſt, ſed vitæ & morum: ut homines unius fidei meritis diſtinguantur, non perſonis. *Actorum cap.*10.

Hoc interim in gratiam Lectoris addimus loco præſenti, in Deum non cadere acceptionem perſonarum, quantumvis unum per gratiam aſſumat, & alterum in peccato relinquat. Nam duplex, inquit *S. Thom.* 2. 2. *qu.*63. datio, una pertinens ad Juſtitiam, cum quis dat alicui quod ei debetur; alia pertinens ad liberalitatem; ad hanc autem pertinet collatio munerum gratuita, & in ea locum non habet acceptio perſonarum; quoniam poteſt de ſuo dare, quod, & quantum, & cui vult. Juxta illud: Non licet mihi quod volo facere? &c. *Matth.*20.

D Exempla S. Scripturæ.

Veri Prophetæ in populo Dei perſonarum acceptores eſſe noluerunt. Impius Rex Achab, cum diceret ad Eliam, Tune es, qui conturbas Iſrael? reſponſum ab eo accepit: Non ego turbavi Iſrael, ſed tu, & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandatum Domini. 3. *Reg.*18.

Etiam Heliſeus ſtans coram Rege Joram idolatra, & coram Joſaphat Rege Juda fideli, ut pro illis Dominum conſuleret, illum conſtanter redarguit, hunc reveretur. Ad Joram enim dicit: Quid mihi & tibi eſt? vade ad Prophetas patris tui (Achab) & matris tuæ (Jezabel.) Et ſtatim: Vivit Dominus Deus Iſrael, in cujus conſpectu ſto, quòd ſi non vultum Joſaphat Regis Juda erubeſcerem, non attendiſſem quidem te, nec reſpexiſſem. 4. *Reg.*3.

Propheta ille miſſus ad Amaziam idola Seir colentem, quæ bello ceperat, intrepidè ait: Cur adoraſti Deos, qui non liberaverunt populum de manu tua? Cumque Rex illi diceret: Nunquid conſiliarius Regis es? Quieſce, ne interficiam te; adjecit tamen: Scio, quòd cogitaverit Deus occidere te, quia feciſti hoc malum, & inſuper quia non acquieveris conſilio meo. 2. *Paralip. cap.*25. E

Sic & alii Prophetæ, Jeremias, Nathan, &c. non reſpexerunt perſonas Regum ſuorum legem Dei prævaricantium, Manaſſis, Sedechiæ, David; quominùs & peccata eorum arguerent, & Dei comminationes exponerent.

Præcurſor Domini Joannes Baptiſta non reſpexit perſonam Herodis, quominùs ei liberè diceret, Non licet tibi habere uxorem fratris tui. *Marci cap.6.* Talis certè eſſe debet omnium Judicum, Sacerdotum, & Paſtorum virtus, conſtantia, fortitudo, ut abſque perſonarum acceptione peccantes arguant, veritatem doceant, diſciplinam conſervent.

Exempla Historica Sacra.

Innumera exempla ſuppeditat Eccleſiaſticorum Annalium ſeries, eorum qui hoc vitium deteſtati, faciem potentum non erubuerunt. Obvia ſunt dicta & facta ſanctorum Eccleſiæ Epiſcoporum, Athanaſii, Hoſii, Leontii, Hilarii, Chryſoſtomi, Ambroſii, Stanislai, Thomæ Cantuarienſis, F qui Regum ſuorum, Conſtantii, Arcadii, Valentiniani, Theodoſii Imp. Boleslai Poloniæ, Henrici II. Angliæ Regum, vultus faciemque non ſunt veriti, quominùs legem Dei prævaricantes, & poteſtatis ſuæ limites adverſus Eccleſiæ immunitatem excedentes, exemplo Azarię Pontificis, Oſiam Regem ſacerdotalia ſibi arrogantem corripientis, 2. *Paral. cap.*26. libertimè, & intrepidè arguerent.

Sic etiam Patrum memoria, Thomas Morus Angliæ Cancellarius,, & Joannes Epiſcopus Roffenſis, impiis Henrici VIII. conatibus, dum ſibi Eccleſiæ primatum vendicaret, obſtitere: nec ullis promiſſis ab ea conſtantia potuerunt dimoveri, ut latè tractat *Sanderus de ſchiſm. Anglic. & Thom. Staplet. lib. de tribus Thomis.*

S. Bernardus inſtruens Eugenium Pontificem, dicit inter alia: Non ſit in te acceptio perſonarum. Non parvi te reum peccati exiſtimes, ſi facies peccatorum, & non potiùs cauſas judices meritorum. *Lib.2. de conſiderat.*

S. Hieronymus monet Celantiam, *Epiſt.* 14. Nulli te unquam de generis nobilitate præponas, neque obſcuriores, & humili loco natas te inferiores putes. Neſcit Reli- G gio noſtra perſonas accipere, nec conditiones hominum, ſed animos inſpicit ſingulorum. Servum & nobilem de moribus pronuntiat. Legatur *S. Ambroſ. lib. de officiis, c.*24. *Auguſt. Epiſt.*29. *Iſidorus de ſummo bono lib.*3. *cap.*55. *Baſilius hom.*21. *ex variis.*

Ethnicorum Exempla.

Et quidem eorum qui nobiliorem perſonam, aut potentiorem non reſpexerunt.

Adrianus Imp. hujus rei præclarum edidit exemplum. Tranſeuntem illum mulier quædam rogavit, ut ſe audiret. Cui cum ipſe reſpondiſſet, Otium mihi non eſt: illa deinde clamans, ait: Noli ergo imperare. Tum converſus eam audivit. *Dion. Nicænus in Adriano.*

Nec minùs laudabiliter Philippus Macedonum Rex, qui Machetæ cujuſdam pro tribunali ſedens cauſam audivit, ſed dormitabundus, nec ſatis attentus ad juris æquitatem: itaque ſententiam tulit adverſus Machetem. Verùm cum is exclamaſſet, ſe ab ea ſententia appellare; Rex iratus, Ad H quem, inquit? Cui Machetes, Ad te ipſum, ò Rex, ſi expergiſcaris, & attentiùs cauſam audias. Ac tum quidem ſurrexit Rex: & ubi, cauſa attentiùs audita, Machetæ factam injuriam intellexiſſet, judicata tamen non reſcidit, ſed pecuniam, qua damnatus fuerat Machetes, ipſe perſolvit. *Plut. in Apoph.*

Zeleucus Locrenſium Rex, ſic perſonas reſpicere noluit, ut quum legem tuliſſet de adultero utroque oculo orbando, filiumque in adulterio deprehenſum utroque privari populus non permitteret, ſeipſum uno, filium altero oculo privaverit, ne propter acceptionem perſonæ, lex ab ipſo lata violaretur. *Val. Max. lib.6. cap.5.*

Sanè ut ſol non alius eſt pauperi, alius diviti, ſed omnibus communis; ita Principes perſonam ſpectare non debent, ſed rem. Sicut eadem trutina eiſdemque ponderibus aurum ponderatur & plumbum; ſic eadem æquitate parvis & magnis juſtitia adminiſtranda eſt. ☞ *Conſulatur Titulus de Eleemoſyna, Pauperum cura, Prædicatione. Item vide in quorum bonorum diſtributione locum habeat.*

Cele-